# Satyra Sotadica de arcanis Amoris et Veneris

This ebook is for the use of anyone anywhere in the United States and most other parts of the world at no cost and with almost no restrictions whatsoever. You may copy it, give it away or re-use it under the terms of the Project Gutenberg License included with this ebook or online at https://www.gutenberg.org/license. If you are not located in the United States, you'll have to check the laws of the country where you are located before using this ebook.

Title: Aloisiæ Sigeæ Toletanæ Satyra Sotadica de arcanis Amoris et Veneris

Author: Nicolas Chorier

Release Date: February 26, 2013 [eBook #42212]

Language: French and Latin

*** START OF THIS PROJECT GUTENBERG EBOOK SATYRA SOTADICA ***

Produced by Laurent Vogel, Enrico Segre, and the Online Distributed Proofreading Team at http://www.pgdp.net.

[pg I]

# ALOISIÆ SIGEÆ

SATYRA SOTADICA

[pg II]

*Hujus editionis*

*exemplaria centum impressa sunt*

*in charta Hollandica*

[pg III]

# ALOISIÆ SIGEÆ

TOLETANÆ

# SATYRA SOTADICA

*De arcanis Amoris et Veneris*

Aloisia Hispanice scripsit

Latinitate donavit Joannes Meursius.

Re vera auctore

# NICOLAO CHORIER

PARISIIS
*Cura et studio* ISIDORI LISEUX, *editoris*
Rue Bonaparte, n° 25
*Venit apud*
THEOPHILUM BELIN, BIBLIOPOLAM
Quai Voltaire, n° 29
1885

[pg!IV]

[pg V]

# NOTICE

SUR

NICOLAS CHORIER

L'auteur de l'*Aloisia*, Nicolas Chorier, né à Vienne (Dauphiné) en 1612, reçu docteur en droit en 1639, exerçait la profession d'avocat à la Cour des Aides de sa ville natale. D'un esprit cultivé, ami passionné des lettres, Latiniste de premier ordre, il ne consacrait aux affaires du barreau qu'une assez faible partie de son temps. Au sortir de l'Académie des Jésuites et pendant le cours de ses études de droit, il s'était déjà essayé dans les genres les plus divers, tant en Français qu'en Latin: sylves, élégies, odes, épopées, tragédies, tragi-comédies. La composition de l'*Aloisia*, le premier jet du moins, car il dut retoucher souvent cette œuvre [pg VI] capitale, remonte très probablement à

cette époque. «J'écrivais alors,» nous dit-il dans ses *Mémoires*[1], c'est-à-dire avant d'être avocat, «des Epîtres, des Discours, la Vie de Pierre de Villars, évêque de Vienne, une dissertation politique sur l'Alliance de la France avec l'Empire Ottoman; l'*Eucharisticon*, l'*Alithium*, et deux Satires, l'une Ménippée, l'autre Sotadique.»

En 1640, il publia sous le titre de *Doremation* son premier livre, un Éloge de quatre archevêques de Vienne, de la maison de Villars, bientôt suivi d'un traité moral: *Sentiments de l'honnête homme* (1641), du *Magistratus causarumque patroni veri ac perfecti icon absolutissima* (*Type absolu du magistrat et du véritable et parfait avocat*), qui était un portrait idéalisé de Pierre de Boissat, bailli de Vienne (1646), et de la *Philosophie de l'honnête homme*, autre traité moral, dédié au chancelier Séguier (1647). Chorier méditait dès lors sa grande *Histoire du Dauphiné* et il en rassemblait de toutes parts les matériaux; il la fit précéder d'un ouvrage plein d'érudition: les *Recherches du sieur Chorier sur les Antiquités de la ville de Vienne, métropole des Allobroges* (1658), qui accrut sa réputation de [pg VII] savant. Il était entouré de la considération générale, ses travaux l'avaient mis en relation avec presque tous les lettrés de l'époque, son cabinet d'avocat lui rapportait des émoluments considérables, lorsque la suppression de la Cour des Aides de Vienne vint menacer sa fortune. Réduit aux maigres affaires d'un bailliage, il n'aurait pu gagner sa vie; il résolut donc de se transporter à Grenoble avec toute sa famille, et de s'y créer une nouvelle patrie. C'est à cette époque même (1659-1660) qu'il fit imprimer, à quelques exemplaires seulement, pour ses amis, la première édition de l'*Aloisia*. Le livre fut imprimé à Lyon[2].

A Grenoble, Chorier ne tarda pas à conquérir une situation tout au moins équivalente à celle qu'il venait de quitter. Son *Histoire générale du Dauphiné*, dont il publia le premier volume en 1661, fut si bien accueillie, que les États, réunis cette année même, lui votèrent un don de cinq cents louis, somme qu'il ne reçut pas, à la vérité, le Parlement ayant refusé de l'ordonnancer, mais qui n'en témoigne pas moins de la [pg VIII] bonne volonté de ses concitoyens à son égard. En 1666, Du Gué de Bagnols fut nommé intendant de Lyon; c'était un haut et puissant personnage. Beau-frère du chancelier Le Tellier[3], oncle de Louvois, père de M^me^ de Coulanges, l'aimable correspondante de M^me^ de Sévigné et l'amie de M^me^ de Maintenon, Du Gué avait de grands appuis à la Cour; il devint l'ami et le protecteur de Chorier dans des circonstances fort honorables pour le jurisconsulte Dauphinois. L'intendant de Lyon avait ordre de poursuivre dans

---

1 V. la *Curiosité littéraire et bibliographique*, III^e^ et IV^e^ Séries (Paris, Liseux, 1880-83).

2 Sur cette édition originale, ignorée de Brunet et que les auteurs du *Supplément* au *Manuel du Libraire* ont mentionnée sans en reconnaître l'importance, voir une Notice dans la II^e^ Série de la *Curiosité littéraire et bibliographique*.

3 Le Tellier et Du Gué de Bagnols avaient épousé les deux sœurs.

sa Généralité, composée des quatre provinces de Lyonnais, Beaujolais, Forez et Dauphiné, la grande enquête commencée par toute la France, dès 1661, sur les usurpations de titres de noblesse; il choisit Chorier pour remplir l'office de Procureur du Roi près de la commission qu'il présidait. En cette qualité, Chorier était chargé de faire les informations, d'examiner les dossiers et de requérir; un grand nombre de nobles durent comparaître. L'enquête ne se termina qu'en 1670, après que les assises se furent tenues successivement à Grenoble, à Vienne et à Lyon. Cette recherche des usurpations de titres nobiliaires était délicate; [pg IX] bien des amours-propres se trouvaient froissés par cette sorte d'inquisition royale; on cherchait à y échapper par tous les moyens, dont le plus simple était de corrompre les juges. Guy-Allard, secrétaire de la commission, et quelques autres agents inférieurs, en furent ignominieusement chassés pour s'être laissé séduire et avoir prêté la main à la falsification de certains dossiers. Chorier suivit partout le commissaire et déploya près de lui un zèle et une intégrité que Du Gué de Bagnols se plut à reconnaître: telle fut l'origine de leur étroite intimité, de la protection constante accordée par l'intendant de Lyon à l'homme qui l'avait le mieux secondé dans ces longues et difficiles investigations.

Chorier n'en poursuivait pas moins la composition des ouvrages qu'il avait entrepris; en 1669 il fit imprimer l'*Histoire de la maison de Sassenage*; en 1671, l'*État politique du Dauphiné*; en 1672, la seconde partie de l'*Histoire générale du Dauphiné*; en 1680, la *Vie de Boissat* (en Latin), qu'il dédia à Du Gué de Bagnols. C'était au même personnage, mais sans le nommer expressément, qu'il avait dédié deux ans auparavant (1678) une seconde édition, plus complète, de l'*Aloisia*. La première, celle de Lyon, 1660, ne contenait que six dialogues: *Velitatio*, *Tribadicon*, *Fabrica*, [pg X] *Duellum*, *Libidines*, *Veneres*; il en ajouta un septième, intitulé *Fescennini*, qui affecte de n'être qu'une suite de fragments, soit que l'auteur l'ait ainsi voulu, soit que l'imprimeur n'ait eu en sa possession qu'un manuscrit plein de lacunes. Chorier n'en a pas moins mis sa marque à cette édition, tant par sa longue épître: *Summo viro Aloisia ex Elysiis hortis*, où il parle beaucoup de lui-même et de son protecteur Du Gué, que par l'adjonction de deux pièces de vers Latins dont il a toujours avoué la paternité[4]. Par une bizarrerie qu'on ne s'explique pas bien au premier abord, la scène qui, dans les six premiers dialogues, est placée à Rome, se trouve, dans le septième, transportée en Espagne, et les interlocutrices, Tullia et Octavia, tout en restant les mêmes, sont devenues Espagnoles, d'Italiennes qu'elles étaient. Ce changement est une conséquence de l'attribution que Chorier avait fait de l'ouvrage à Luisa Sigea, de Tolède (*Aloisia*

[4]Sur l'énigmatique Épître: *Summo viro* et les pièces de vers Latins: *De laudibus Aloisiæ* et *Tuberonis Genethliacon*, dont la dernière renferme de curieuses allusions à un épisode de la vie de Chorier, voir dans la III^e Série de la *Curiosité littéraire* l'article intitulé: *Eclaircissements sur le «Satyre Sotadique de Nicolas Chorier, connue sous le noms d'Aloysia, de Meursius.»*

*Hispanice scripsit, Latinitate donavit Joannes Meursius*), attribution à laquelle [pg XI] il ne songeait sans doute aucunement en composant cette satire Sotadique, et que plus tard il entreprit de justifier.

Chorier mourut en 1692; il laissait manuscrits une grande quantité d'ouvrages, parmi lesquels on a imprimé depuis son *Nobiliaire du Dauphiné* (1697, 4 vol. in-4°); ses *Mémoires*, en Latin (*Nicolai Chorerii, Viennensis jurisconsulti, Adversariorum de Vita et rebus suis libri III*) dont le texte a paru dans le *Bulletin de la Société de statistique du département de l'Isère* (1844); sa *Vie d'Artus Prunier de Saint-André* (Paris, Alph. Picard, 1880, in-8°).

En réimprimant l'*Aloisia*, on s'est proposé de donner de ce chef-d'œuvre le texte le plus soigné qui ait paru jusqu'ici. La première édition faite par Chorier en 1660 est elle-même très fautive: encore les éditeurs du XVIII^e^ siècle ne l'ont-ils pas connue, et n'ont-ils pas pu profiter de l'*Errata* où Chorier avait corrigé bon nombre de fautes d'impression. Ils ont altéré beaucoup d'endroits, qu'ils comprenaient mal, et au Latin de Chorier substitué le leur; une ponctuation défectueuse, le manque de guillemets, etc., rendent, de plus, ces diverses éditions d'une lecture assez malaisée. Les amateurs seront heureux d'avoir enfin de ce livre de chevet un [pg XII] texte correct, clarifié, et d'une belle exécution typographique. Ils y trouveront l'œuvre tout entière, telle que l'auteur l'a donnée lui-même, c'est-à-dire les six dialogues de l'édition originale, complétés par le septième de l'édition de 1678, et les trois pièces qui l'accompagnaient: l'épître *Summo viro* et les deux petits poèmes Latins, *De Laudibus Aloisiæ* et *Tuberonis Genethliacon*. Quant aux autres morceaux de prose ou de vers, insérés généralement à la suite de l'*Aloisia* dans les éditions modernes: le *Fututor effœtus*, la *Formica* de Giovanni della Casa, les *Diversorum veterum Poetarum in Priapum lusus*, les Lettres d'Antoine à Soranus et de Soranus à Antoine sur les dérèglements de Cléopâtre, le Discours d'Héliogabale aux courtisanes Romaines, les fragments de Sénèque, de Procope et d'Arnobe, ils sont entièrement étrangers à Chorier et nous n'avions pas à en tenir compte[5].

Paris, Mars 1885.

[5]De très médiocres imitations Françaises de l'*Aloisia* ont été faites sous divers titres dès la fin du XVII^e^ siècle, et fréquemment réimprimées depuis; il n'en existe qu'une seule bonne traduction: *les Dialogues de Luisa Sigea, ou Satire Sotadique de Nicolas Chorier* (Paris, Liseux, 1881, édition mixte, 4 vol. petit in-18), et *les Dialogues de Luisa Sigea sur les arcanes de l'Amour et de Vénus* (texte Latin et traduction complète, Paris, Liseux, 1882, 4 vol. in-8°, imprimés à cent exemplaires).

[pg XIII]

# ALOISIÆ SIGEÆ

TOLETANÆ

## SATYRA SOTADICA

DE

ARCANIS AMORIS
ET VENERIS

ALOISIA *Hispanice scripsit*

*Latinitate donavit* IOANNES

MEVRSIVS

V. C.

[pg!XIV]

[pg XV]

# MONITUM LECTORI

———————

Vivebat ante annos centum et triginta Aloisia Sigea, Hispana, Toleti nata. Ingenio, eruditione, forma præstitit, et omnibus virtutum dotibus quæ laudari solent plurimum et ingenuas maxime decent, excelluit. Sed non in abjecta et stupida animi demissione, non in sordida rei familiaris cura, non in vili nugarum studio virtutem sibi positam habebat: liberalibus navare operam disciplinis, scriptis æternam sibi parere famam, ad summam sapientiam niti, non ad summas contendere opes, id demum optimum putabat et prædicabat; quod tamen pleræque fœminæ omnes per ignaviam negligunt, homines multi per socordiam stultam et furentem contemnunt. Quamobrem veri amans, libere malas insectabatur; quæ sentiret, ultro faciebat palam, et velut quandam morum e curuli sella Censuram exercebat, quam suspicerent omnes, et cujus ob os ora obverterent sua. Se imprimis nobilium mulierum flagitiosis fœdisque voluptatibus infensam ostendebat, et quo, injecto saltem pudore, ad meliorem revocaret frugem nihil non agebat. Pati non poterat, ut dicebat, specie prælucentes, nobilitate commendabiles, brevis gaudii aut spe aut gustu [pg XVI] velut emotas mente, in ludibria ipsas se vertere. Addebat, ut Virtuti honestum et gloriosum est nudam sisti ob oculos mortalium, sic Vitiis esse ignominiosum. Quæ meretricie viverent, ideo voluit e fornicibus suis in quibus latebant in scenam humanæ vitæ nudas educere, quæ essent documento impune non peccari, mulieres quasdam superbi nominis et oris, et alto cretas sanguine. Nam quas Tulliam, Octaviam, Semproniam, Victoriam vocat, eæ fuerunt Ducum,

Marchionum, Comitum aut uxores aut natæ. Nihil de his enarrat quod vere factum non sit, et ut erat a mendacio et ab omni dissimulationis specie alienissima, liberiori omnia sermone executa est, qui solus conveniebat. Satyram Sotadicam inscripsit opus, quod Colloquiis septem complexa est, ac Eleonoræ Marguaridæ Roderici marchionis uxori, sodali suæ, dedicavit, qua jubente susceperat, qua urgente, ut in quadam epistola ad illam data, loquitur, intra mensem absolverat. De Sotade nihil est quod dicam; rerum amatoriarum scriptorem fuisse liberrimum fugit neminem. Sed fœminam ad scribendum his de rebus animum appulisse, non mirum videri debet: nam Elephantis puella, et aliæ quædam, hoc fuere scriptionis genere celebres. Præterea aptiores sunt fœminæ his rebus depingendis, si quæ sint cordatæ et non fatuæ procacitatis; siquidem libidinum ipsæ sunt campus in quo nascuntur omnes, in quo vigent, et, ut verbo dicam, in quo oriuntur et occidunt gaudia illecebrosa, et amœniores joci. Forte nec tam dura fuit ut ullo nollet voluptatis sensu emollire sibi mentem ad carpenda vitæ dulcia, et pars etiam puto fabularum ipsa suarum fuit non pœnitenda. Hispanice scripsit; vir doctus Joannes Meursius, Lugdunensis apud Batavos Academicæ lumen clarissimum, adolescens, et vix ex ephebo egressus, Latinitate donavit; etiam de suo adjecit quædam quæ Aloisiæ vix persuaserim mihi [pg XVII] venisse in mentem. Sed periit liber Aloisiæ; manuscripta Meursii hæc tantum lucubratio, aut si mavis commentatio, pervenit ad me: nihil ausim pro certo affirmare. Quicquid id est, non infelicis ingenii, non proletariæ eruditionis partus sunt hæc Colloquia, quæ nec fastidium legenti creent, nec stomachum vere Sapienti moveant. Quinque priora, quæ faustis avibus in manus nostras delata sunt, luci damus, quibus utique carere huic ætati bonis litteris amicæ turpe esset, et studiosis arduæ sapientiæ durum. Duo, quæ supersunt, hæc aiunt longe, et arte et procacitate ingeniosa, antecellere. Sextum figuras objicit ob oculos, non tantum describit. Septimum fabellis et narratiunculis, quæ ad hanc rem pertinent, mirabiliter recreat, et hoc velut cibo Attico sale condito pascit animos, cujus nulla unquam capit satietas. Et propediem juris publici fient meo itidem munere. Nam invideri tam salsa, tam lepida, tam etiam utilia bene vivendi præcepta, quis ægre molesteque non ferat saxeus et veternosus? Bonos utique mores Orator laudet Tullius; Philosophus doceat Plato: melius sane suadebunt Publius Syrus, Laberiusque Mimi. Ferit mentem et movet qui miscet utile dulci: a qua plerumque aberrat laude verbosus Orator, strigosus Philosophus. Medicamentis vires addit dum horrorem et odium adimit, qui in bellaria format solers Medicus: hæc Aloisiæ fuit cogitatio, et omne sibi punctum videbatur tulisse, quæ tam ingeniose, tam facete utile dulci miscuisset. Vale.

# De Aloisia Sigæa Toletana

## JOANNIS VASÆI

*Hisp. Chron. Cap. 9.*

# TESTIMONIUM

————

Ut omnes alias Latinis litteris tinctas silentio prætaream, dabit Hispania Aloisiam Sigæam Toletanam, sed in aula Lusitana per multos jam annos educatam: quinque linguarum adeo peritam, ut non immerito Paulus tertius, Pontifex Maximus, litteras illius ad se scriptas Latine, Græce, Hebraice, Syriace, atque Arabice laudibus sit prosecutus, admiratus tam multiplicem ingenii fructum, et donum tam multiplicis linguarum scientiæ, in viris quoque rarum, nedum in fœminis: sic enim sonant verba Diplomatis. Debetur hæc laus optimo patri, et viro doctissimo Didaco Sigæo. Nec in ea solum hanc operam posuit, sed alteram quoque filiam Angelam, Græce, Latineque, pro ætate et sexu non mediocriter eruditam, tam exacta Musices scientia curavit perdocendam, ut vel cum præstantissimis

hujus artis professoribus contendere posse putem.

[pg XIX]

# SUMMO VIRO

ALOISIA

EX ELYSIIS HORTIS

S. D.

————

Vernant et florent, VIR SUMME, per anni tempestates omnes, Elysiis in campis amœni et ridentes horti: parens felicis et uberis soli æquor adeo hortus unus est nitens et suaveolens. Non noti mortalibus generis flores, rosæ et herbæ spirant ambrosios odores, qui beatis Manibus tenui pro anima sunt. Læta semper cœli facies, lætus sol, puri lucis ignes: non concreta nimbis dies, non cœno lux oblita. Qualis ipse sibi sol in se est, talis est semper et nobis, nitidus et coruscans: cum radiis continuo depluit fluxu e supero orbe delicias et festivos jocos. Patulæ in lucis arbores, quas vester non insevit, non vidit Vertumnus, non longo salutant intervallo sidera, et æstus

temperant. Nectare [pg XX] fontes scatent, et aerio fluunt melle rivi. Voluptates, sed veræ, sed honestæ, et veræ quia honestæ, aera hunc nostrum percursant innumerabiles, ut vestrum illum tenebricosum leves atomi, rerum cæca principia. His in plagis nulla a furentis libidine fortunæ pendet felicitas, qui felicitatis apex est arduus veræ et constantis. His vero in locis centum jam abhinc annos lætam et fortunatam læta et beata agito vitam. Undique et undequaque delectant et juvant omnia. Sane ultra nihil esse putabam, quod irrequietæ vellem mentis correpta, ut olim fiebat, vertigine concupiscere. Attamen erat. Miraberis, VIR MAGNE: tot inter gaudia Satyram Sotadicam tibi meam placuisse, et id mihi gaudium fuit longe maximum, et omnium cumulus. Esse acceptam tanto viro mihi gratulor et triumpho. Illum ingenii mei partum fovisti in sinu nudum et ægrum: paterno complectens tutatus es amore, quem videbar abjecisse et abdicasse.

Confabulabamur ego, et animæ magnæ, Lucilius, Varro, Horatius, Ovidius, Persius, Juvenalis, Sulpicia, Petronius, Boccacius, Petrus Aretinus, Bernius, Rabelesius, Rapinus, Barclajus et Boccalinus, sub umbrosa ulmo. Nam vobis cibus sunt, quo enutriuntur corpora vestra, mortalibus far et vinum; nobis vero collocutiones immortalibus mutuæ, quibus pascimur, dapes et cupediæ. Maia gnatum videmus cito advolare ad nos cursu. Lectum animas venerat quibus altera, his diebus, fato corpora debebantur. Ut prope factus est, et oculos et vocem ad me convertit: «Euge, Aloisia,» inquit, «euge.—Atenim hanc evocas ad superas auras,» interpellat commotior Petronius, «quæ nudiustertius huc demissa non ita longe distat a vita? Me præteris qui mille ante annos exulo? O fatui injuriam fati!—Ego vero,» ait Horatius, «eruditæ et ingeniosæ meæ nugæ adblandiri solitæ erant maximo, qui unquam [pg XXI] fuit, rerum moderatori: et audio in Celtico solo imperare alterum Augustum. Redde me, Mercuri, Principi meo, redde Horatium Deo suo.—Nam,» adjicit Lucilius, «magna desunt ingenia magni Principis laudi.—Tu,» ait Persius, «secuisti, Lucili, et Mutios et Lupos, et Urbem totam. Tu vafer omne tangebas, Flacce, vitium ridenti amico, et dimissus circum præcordia ludebas. Ut ringeres, Lucili, ut obgannires, Horati! In illa Celtarum Roma scripturiunt omnes: unus aut alter scribit. Cantillant balba de nare rancidulum quid: unus aut alter heroice canit Heroi. Fugient, si velis, hi Lemures. Restituetur Musis suus honos, si nobis vita.—Sed et sexus mei,» subdit Sulpicia, «illecebrosa amat decora; et sexui meo decus fui, et sum. Juvenem non fallit Heroa in ingenio pulchræ puellæ multo majorem elucere pulchritudinis partem. Placebo, laudabit, si viderit decimam Musam. Et, si laudaverit, provocabo ad cantum novem sorores. Raucæ silebunt fulgentis aulæ cornices, et garrulæ picæ.—In pravos ætatis meæ mores,» inquit Varro, «Satyricam commovi bilem. Menippæum strinxi stylum, doctissimus Romanorum. Nullius peperci vitiis, sed nullius animum læsi: arte temperavi industria acerbam medicinam, sed salubrem. O si!...»

Plura volentem interrupit succensens Aretinus:—«Dum essem in humanis,» ait, «audiebam Flagellum Principum. Timuere Aretinum, qui Jovem non timebant.—Apage, lavernio,» refert Bernius, «qui indoctis tuis et insulsis scurrilitatibus non tam notasti mores, quam corrupisti; qui, si scarabæi non nascerentur, nequidem natus esses. Ego vero Procerum ulcera acri tabo fluentia lavi aceto, sed roseo, sed odoro. Perfricui sale, sed Attico. Medicinam feci sanus. O si!...—Enimvero in nugis et tu et ille,» infit Boccalinus, [pg XXII] fuistis toti. Reges mihi et regna solerti ludus fuerunt ludenti, ut solent esse fortunæ. Per me saltarunt libere, cachinnos edidere altos et sonoros, et tetricum posuere supercilium Politicæ artes, et, ut loqui solebas, Persi, ærumnosi Solones. Effusi sunt et ipsi in cachinnos sonantes.—Cui non lecta Satyra Menippæa mea?» reponit Rapinus. «Cui non placuit? Malæ causæ dum personam detraho, qua superbiebat, bonæ opi fui. Novum instruxit Minerva mea armamentarium pugnanti Marti Gallico. Ex hoc sumpsit tela, quibus perduellium prosterneret animos, ut pectora et urbes aliis perfringebat fulminans Heros.»

—«Atenim quid vobis vultis, cari Manes?» infit Mercurius indignans. «Exspectatis compescam ego motus hos insanos delinificæ virgæ minis? Nam evocat Jupiter Alexandrum Macedonem et Machiavellum Florentinum, nescio quid magni parans. Omnia scilicet in terris improba et felici ille temeritate, dolis hic malis et cæcis artibus susque deque miscebunt, furentes una et fallentes. Non eo sunt in statu res humanæ, cui pro merito debeatur Horatius aut Varro. Toti sunt qui laudantur in gerris; toti in fabulis qui ingeniosi audiunt, et ipsi Æsopicæ fabulæ loquentium et disserentium bestiarum. Qui lucubrationum laude prædicantur, striges sunt. Florere jactitant per se ambitiosi ingenuas disciplinas; marcescunt excisæ. Se tamen amant homines nihili, invicem se mirantur: muli mulos alternis scabunt. Videntur sibi esse belli (loqui sic solebas, Varro), festivi, saperdæ, cum sint Κάπροι. Iniqui judices, nihil habent in pretio præter somnia sua nullius pretii. Tibi tamen, Aloisia, nulla irascitur in terris livoris malignitas. Satyræ Sotadicæ qui plausus negant, blando favent murmure. Eruditi osculantur, boni gaudent, quod demum [pg XXIII] inveneris viam floribus consitam, qua iretur ad virtutem. Nam mira opifex libero sermone bonos optime condoces mores, et malis suades exemplis; obliqua ad honestatem ducis via ingenuo delinitas ludo mentes. Non ocius alii recta irent. Compendiaria hæc est.—Id mihi quidem, cum animum ad scribendum appuli,» respondeo, «fuit, Mercuri, propositum. Produxi ab intimis Amoris et Veneris arcanis, quos libido fervens infundit furores insanientibus malis. Palam feci quæ fieri solent stulta et fœda, hoc ut spectaculo a faciendo deterrerem quibus honor curæ esset, pudorem libidinosis injicerem, odium libidinum incuterem. Non sum, ut alii bene multi, excogitando assecuta quæ contaminatos et temulentos fieri possent inter amantes. Quæ vere facta nossem, scripto mandavi. Quasi per pompam traduxi spurca ludibria. Ope

mea, forti et fideli, de scelerata Venere triumphanti virtuti ferculum id fuit opimum. Nam proba fuit vita et pudici mihi mores. Scis, Mercuri.»

—«Scio,» respondet.—«Et nos omnes pariter scimus,» succinunt stridulo tinnitu circumvolitantes Manes.—«Nec, per hanc barbam meam! me fallit.» Dicens, barbam longam, hircinam Aretinus læva mulcebat. «Egregiis famam compararas tibi studiis incredibilis honestatis. Lusitanorum Regi præstans de te erat opinio, adeoque Italiæ toti, et terrarum capiti Romæ. Audieram de tuis Colloquiis.» Tacere jussit Mercurius:—«Noli,» inquit, «laudare virginem, leno! Operam non dabas instituendis bonis moribus: opus difficile, nec tuum. Probrosas scurrilium facetiarum ineptias venditabas Osco sermone. Ingeniose desipiebas balatro amens. Meliores habet Aloisia laudatores. Nam tuis habent in Colloquiis, Aloisia, Italæ et Gallicæ Musæ, quos non habent in suis cum Apolline, [pg XXIV] meros Nectaris succos. Te eruditi et ingeniosi trans et cis Alpes suam volunt, amant et colunt:

»Te legit omnis ibi juvenisque, senexque, puerque.

»Verum tibi sit unus pro omnibus. Procum habes, cujus sit amor vel præstantissimæ virtuti pro præstantissima laude. Placet sibi in tuis scriptis ut in dulcissima voluptate. Excellit ingenio, excellit et dignitate. Sinceriorem certe non viderunt Celticæ stellæ. Splendidis cumulatiorem dotibus non habet Sequana fluviorum princeps.—Erat mihi patronus in aula Domitiani,» reponit Sulpicia, «Plinius Secundus, vir in ætate corruptissima integerrimus, cum canerem:

»Dic mihi, Calliope, quidnam pater ille Deorum
»Cogitat? An terras et patria sæcula mutat?
»Quasque dedit quondam morientibus eripit artes?

»Indignationem meam autoritate armavit sua vir sanctus. Illo ducente invenit delitescentem, cum Caleno meo, me gloria, sub injustitia et inclementia vecordis sæculi. Et obstetricatus est Valerius Martialis nascenti famæ.—Solus nemo unquam aperuit sibi,» infit Ovidius, «honoris difficilem aditum. Facilius multo est et proclivius laudem promereri, et laude dignum videri, quam laudari. Me Fabius Maximus,

»... Romanæ gloria prima togæ,

»Augusto familiaris, habuit familiarem. Maximo commendante, non ausus est perstrepere raucus livor. Sidera nosse et syrtes, et navigationis callere artem, [pg XXV] id haudquaquam navigantibus satis est, ni adspiraverit velis favens aura.

Ita nec pergentibus ad gloriam bonæ sufficiant artes, non ingenium, non eruditio, ni etiam opportuno impulerit flatu cymbam favens aura.—Fateor,» aio ego, «parum mihi meriti, at famæ multum fuit. Gratiæ multum fuit apud optimum quemque. Nascenti nimirum risit stella tua, Mercuri. Si placui et vigui, tuum est. Sed amabo, perge dicere, care Mercuri, de illo nominis mei patrono, et commentationum tutore.»

—«Pergam,» reponit, «et suave erit. Vis primum dicam de fortunæ bonis? Natus est clara et nobili stirpe in magnis opibus, et Leucotetiæ, quæ mater urbium, ut loquitur Ammianus. Vis de animi bonis? Suæ solus genti sit ipse satis ornamenti, vel deessent cætera ornamenta omnia quæ abundant. Nam, ab ineunte ætate, liberalibus singularem dedit operam disciplinis, acie pollens ingenii et proba solertia. Buleutis Celticis adscitus adolescens, civium salute, honore et fortunis habuit nihil antiquius. Nullus gratiæ in judiciis apud illum locus, nullus odio, nullus sævienti iræ. Sunt qui alteri non gauderent bene fecisse, nisi se scirent alteri male fecisse. Scopus est illis male facere, et interdum ad scopum via bene facere. Qualem optaret sibi æterni numinis mentem, talis illi mens erga reliquos homines. Sic aliis Deus erat hominibus homo, ut bene multi his constituti in dignitatibus, aut prædæ aut sanguinis avidi, videntur lupi, prostituta ad infamiam fama. Ad sublimiores promotus honorum gradus, animum non mutavit. Nunc adsidet Buleuta Regi, Regum Celtico Jovi. Igitur, difficillimis admotus negotiis, visus est major. Gloriosum est quam plurimis honorum luce fulgentibus, non omnino negotiis esse impares: huic, invenisse nulla quæ ingenio [pg XXVI] usu rerum confirmato et politicæ dexteritati paria essent.

»Patrono huic tuo, Aloisia, in proclivi expedita et aperta sunt, quæ aliis plerisque in arduo, obscura et impedita, pecudibus superbis. Descenditur illi ad res difficiliores genii præstantia, ut aliis, nitenti gressu, adscendendum opacitate ingenii. Nec supercilio terrorem incutit adeuntibus, nec inani insultat fastu trepidis. Vere homo, hominibus se præstat humanum. Nam qui, præter se, nihil amant, nihil æstimant, belluas dixeris, non homines. Oblitus humanitatem jam bellua est, quandoquidem hominem exuit. Non vultus, sed mores faciunt hominem. Credulos et fidentes non ludit verborum præstigiis, non conjicit adulans in errorem. Pereant, pereant fraudum improbi artifices! Osculis petunt, quos et insidiis petunt. Amplectuntur, laudant, quibus perniciem moliuntur. Mens huic viro, ut frons, aperta. Suis de rebus nihil vult latere securus et constans, præter benefacta. Ostendit se factis, non verbis ostentat, inanique simulatione. At enim optantem et allaborantem suis finxere manibus Virtutes et Musæ. Instillarunt affectus, quos non puderet Virtutes et Musas suos fateri et agnoscere. Subcisivas non corrupit horas turpi otio. Sane quæ libidinibus et nugis pars vitæ datur, de vita expungitur; vitæ perit. Accersit ad se amicas Musas. Conveniunt: læta et beata cum iis ducit commercia. Hoc cœlos et terras auspicio peragrat,

philosophico pernix volatu. Omnia ætatum et temporum indefessus pervolat animo intervalla, historiæ fido ductu. Sic hac in nostra natus, per omnes unus vivit ætates: sic quos oculis non vidit, celebres laude heroas habet in familiarium numero. Miscet et cantus cum Pegasidibus puellis. Lepida erudito ore fundit carmina, respondent alternis Musæ. Nugæ etiam illi, [pg XXVII] nec nugæ sunt. Boni igitur omnes amant, cui nihil nisi boni et honesti cordi est. Colunt et prædicant uno consensu, uno concentu Leucotetii, Unelli, Ergosiavi, et Alpini Ariobriges. Humaniorem hactenus non viderant, nec commodis suis opportuniorem. Hunc ad se missum esse virum, quem a vera honoris via nulla averterit unquam lucri fames, nulla pravi affectus insania, gaudent, sed puro, sed sincero gaudio.

»Gratuleris et tibi, Aule Persi: obvolvisti ipse te cæca nocte: videri nolebas. Altam versibus et versuum sensibus superfudisti caliginem. Nolebas intelligi, forte et tu non intelligebas. Non fecerunt venientem at te nox et caligo, ut exerraret. Venit: discussit noctem et caliginem. Te proxime videt. Perspectum id omne habet, ut tute loqueris,

»Quod latet arcana non enarrabile fibra.

»Eripuit tibi te neganti conspectum. Latebas intra te, ne te curiosa et erudita inveniret sagacitas. Eras ipse involucrum tibi. Quis vero fuit furor ille tuus?—Nulla,» exclamo ego, «deleat unquam Mæcenatis mei memoriam oblivio! Supremus sit illi dies qui soli erit et cœlis!—Vivat tanti viri nomen,» subjicit Persius, «in ea luce quam fugi! Effundat id in caput suos omnes gloria immortalis radios! Obsolescat nunquam celsæ virtutis honos! Favet virtuti: faveant et illi virtutes! referant laudantes et plaudentes gratias quas habent!» Subridet Mercurius et caduceum movet.—«Audite, pii Manes,» inquit. «Diuturnior est vita quæ suis cuique venit a benefactis: nam et verior est. Non ita diuturna quæ venit a parentibus. Jupiter rerum arbiter, cujus

»Pondus adest verbis, et vocem fata sequuntur,

»duris hanc statuit Parcarum legibus legem: corpora [pg XXVIII] quidem dedant neci; gloriam et laudem letho eximant. Instabili non subest rerum mutationi virtus, nec virtutis merces.»

Cum diceret, perculit aures dissipatus longe rumor, et confusæ convenientium voces. «Ecce, ecce,» pergit dicere Mercurius, «venit ad vos humanitate clarus in Musas, ortu clarissimus, Furbinus Oppedius. Eruditionem, florens dum manebat vita, maximum duxit esse mortalium bonum Oppedius. Principem debet inter vos locum tenere. Ingenuis favit disciplinis, ex animo favit, apud leves et turbidos Salyes togæ princeps. Sed enim et acceptissima fuisti Oppedio, Aloisia.»

Audiit ille:—«Libros bono numero collegi,» reponit. «Et in tuis, Aloisia, scriptis magna cum voluptate conquiescebam. Eruditos, quotquot voluere, in clientelam et fidem meam suscepi: suscipite et vos, pii Manes, in fidem vestram me. Sed te, Aloisia, commendarat mihi tum adprobantis testimonium famæ, quum hominum ingeniosorum et doctorum de te judicium. Eras mihi amœnum et florens diverticulum a politicis curis.—Raros esse,» respondeo, «altero sub cœlo, Barclajus et Boccalinus conqueruntur, qui sui putent esse pensi in lucentibus dignitatum positi gradibus, litteris et litteratis fera subigere invidiæ odia. Lætor igitur vehementer, nove hospes, meum tibi quicquam dulce et gratum tanto viro fuisse.»

—«Et jure conquerimur,» refert Barclajus. «Enimvero mihi multa intercedebat cum Peyreskio amoris necessitudo. Meis delectabatur commentationibus et moribus. At plurimum Argenidis oblectabatur historia. Commendavi regiam virginem longe commendatissimo in litterarum Republica viro. Edit ille in lucem, vult vivere nobilem ingenii mei partum. Vide temporum iniquitatem, summe Furbine; hominum malignam [pg XXIX] vide stoliditatem. Non placuit varicosis Magnatum ingeniis liberalis Argenidis forma: non placebat stola Romana. Non amarunt in Latio natam pulchritudinem. Bibliopola magno, quod sumptus quos fecerat in ornanda et comenda, nullus inveniretur emptor qui refunderet, succensebat pudore offusæ. Piper et thus minabatur. Erat Argenis toga cordyllis et pænula olivis futura, ni Marcassi opem obtestaretur, non magni viri, non ingenio sublimis, non doctrina locupletis. Commendavit litteratorum plebi plebeius, nec nobilis scriptor. Rem ridiculam! Principibus viris placuit Argenis, postquam ineptis et fatuis placuisset. Quos graves putant et summos esse viros, interdum noxæ sunt viles et stulti. Si nudos, detracta opinionis larva, contempleris, homines non credes; aut nihili homines credes.»

—«Melius tecum, Aloisia,» inquit Oppedius, «fatui actum benevolentia fati. Nam inepti et ignavi illaudatam reliquerunt: magnæ et excellentes mentes laudarunt, foverunt. Sunt immo qui ex animo amant, et tamen obloquuntur. Secum ipse laudat Tubero: vafer, vappa, in perniciem famæ suæ et bonorum ingeniosus, qui et fruitur Dis iratis, Tubero. Coram et palam illaudatam temnit. Bene sensit et male dicit, simulator improbus. Sed non tulit impune.—Feriit indignans æther sacro fulgure vanum et perfidiosum caput,» inquit Mercurius. «Ignominia merserunt nequam nebulonem ulciscentes Musæ. Adfui nascenti Tuberoni,» adjicit, «cum Laverna et Cotytto; et cum pœnas dedit, adfui exsultabundus: colaphos ipse impegi.—Magni sane viri, sublimes animæ,» refert Oppedius, «ut viderunt, laudibus cumularunt: deperiere.—Jure fit,» reponit Mercurius, «ut qui auro, non meritis, emerunt dignitates, id solum plurimi faciant quod auro venit, [pg XXX] non quod ingenio. Ne quidem, paucos si exceperis magno e numero, primora labra Pegaseio latici admoverunt. Igitur probro sibi verti putant, quæ laudes conferuntur in litteratos. Velles amarent Parnassum, e cujus vident arce

cudi tela, quibus petantur ut feræ bestiæ?»

—«Erant in Neapolitano Prætorio, meo tempore,» reponit Boccacius, «tres excetræ: Romulus, Elpinus, Valens, vaferrimi conflandis fraudibus et calumniis triumviri. Romulus cohortem duxerat, lepusculo timidior, cerva fugacior. Elpinus sacerdotem induerat: pessimum nebulonem non exuerat. At Valens, ætate provectior, in re augenda per fas et nefas totus erat. Astutam vapido sub pectore servabat vulpeculam; dulce de labris loquebatur, corde vivebat noxio. Accidit, volentibus Diis, calumniatorem insurgere in me nescio quem de lutulenta plebecula, egenum, mente captum, effrontem, Satyrum. Me insimulat criminis, me rerum repetundarum, Mercuri! me peculatus, o Musæ! me! Indignabantur boni, gratulabantur sibi tres hi laverniones. Exsultabant prurienti amentia. Celebritatem nominis sperabant sibi, qualem qui Ephesinum Dianæ templum subjectis flammis corrupit, qualem qui Vestalem vivam defodit insontem. Boni concupiscunt sibi gloriam, mali famam. Dire minitabantur. Dicebant sancti et probi cognitores e re sua esse me male haberi, et ignominia Boccacium mergi vel immerentem. Urgebant calumniatorem adhiberet accusationi acta, ut loquuntur, produceret testimonia, subornaret testes, acta confingeret. Volebant non veritati opem adesse, sed innocentiæ deesse, veritatem opprimi, obrui innocentem.—Abeat hic in malam crucem nugator! dicebat Romulus. Ausus est, quem voluit nostrum, pediculosis illis fabulis, quas misit in lucem, contaminare. Mihi [pg XXXI] quidem librorum hi scriptores odio sunt. Nam pilum mittere, ferro pugnare, hostem ferire didici, non legere; fortiter facere, non sapienter loqui. Omnia non emerim Musarum dona teruncio.—Nam qui doctrina vigent, grunniebat Elpinus, nos flocci non faciunt: nimirum pretium in nobis nostrum inveniri debere contendunt. Auro nos perduxerunt Regis diplomata, qui plumbei eramus, aut ahenei. Aureos ideo stulti e plebe credunt: eruditi, malum! aheneos vident esse aut plumbeos; et irrident. Simulata pietate, affecto ire ad gloriam. Fallaci vultum larva improbum tegi. Stupet et veneratur jejuna plebecula, ac si jam viverem cum Jove. Pestes hominum, eruditi perspectam habent in intimis fibris mentem; contaminatam sceleratis cupiditatibus vident et oderunt. Pereant hi lynces sua cum perspicacitate! Malo noctuam Minervæ mihi, quam Minervam.—Erumpebat Valens in cachinnos.—Non ita odi litteras ac tu, dicebat. Nam fuit mihi non ineruditus pater. Qua valebat gratia, derivavit in domum meam quicquid habet ornamenti et decoris. Sed supina superbiunt interdum contumacia viri docti. Quod velis nolunt; quod nolis volunt. Cui non doleat? Haud libenter ego tulerim. Audivi qui, orando causas, captiosis dictorum præstigiis me in curuli sedentem impeteret; qui sordes ultro objiceret insultans. Sed ea malignitatem arte effutiebat, ut ne quidem hiscere auderem. Impune oblatrabat furi, quia ingeniose. Pereant ingenio suo liberius evagante, et nostro severius ulciscente! Et Rempublicam persuasum habeo, plurimum a litteris capere detrimenti. Nec

sunt utiles sibi litterati, nec rei apti faciendæ. Legunt, commentantur, scribunt: quid id est præ nummis? Non emerim tribus assibus trecentos Aristoteles, nec teruncio mille Petrarchas. Malim mihi auro plenam esse [pg XXXII] crumenam, quam doctrina cerebri sinus. Philosophis et Oratoribus, mea sententia, antestant longe sartores, cerdones, pistores. Deturbaverim libens e civitate mea id genus otiosorum, si legislator fiam, et in tres classes distinxerim cives. Primas tenebunt sedes Magistratus, ut nos sumus; secundas Sacerdotes, ut tu es, Elpine; inferiorem locum agricolæ et opifices.—Ineptum istud, respondebat Elpinus. Ineptum te legislatorem! Nam primo sunt in loco Sacerdotes. Quis dubitet, nisi amens et impius?—Accepi, reponebat Valens, jureconsultum, nescio quem, magni nominis, nam nimis curiosus nunquam fui, dicere Magistratus omnes Themidis esse Sacerdotes. Ergo qui sunt et Magistratus et Sacerdotes, ut tu es, Elpine, præstant Sacerdotibus. Sed oriatur nulla inter nos rixa, nulla contentio, nulla animi læsio. De Boccacio fieri quicquid jusseris, et id ego fieri jubeo. Innocens scilicet erit quem oderimus? Meo damnare calculo, vel frugi, vel innocentem, vel sanctum certum est. Et blandiens nummi refulget spes?

»Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo,

»ut quidam inquit poeta magnus, puto, Donatus. Nam alium non memini me legere. Dein id erit quod judicaverimus, non quod vere est. Res judicata facit de albo nigrum, de nigro album. O cœleste, per Ditem et Plutum, numina mea, prudentiæ juris effatum! Nam quid commodius et opportunius? O utile nobis, non ita sapientibus, ex arcana sapientia oraculum!—

»Quid plura, sancti Manes? Regi Roberto (cui non dictus Robertus Rex?) re intellecta, non potuit continere se placidissimus Princeps, quin sacro conciperet [pg XXXIII] iram pectore dignam se optimo, maximo, dignam Deo optimo maximo. Nec mora: verbis castigat amaris excitos ad se. Dein sublimi e sede, quam dehonestabant, agit fulminatrici manu præcipites: abdicat magistratu, quem incestabant. Romulum Thrasonem, ne fabulæ quid deesset ridiculi, et tamen duri, lixis exercitus, quem coegerat in Insubres, præfecit moderatorem, et calonibus. Nosocomio incurabilium abdit Elpinum; Valentem vero avarum et prædæ inhiantem Judæo Manassi, Portorii apud Calabros redemptori, sufficit.—O infelicitatem temporum meorum! ingemebat cœlo dignus Princeps. Boni et honesti vocabantur ad Judices: in lupos incidebant et leones. Discant hoc reliqui exemplo justitiam! Suos discant mores in sacraria Justitiæ non inducere. Dignum quidem fortitudine, qua se jactat amens Romulus, munus cepit. Lixis et calonibus ducem præfeci. In impedimentis exercitus, impedimentum ipse, Martem aget; insultabit Alexandro. Elpinum detrusi in Nosocomium incurabilium: nam quis ægrum ira, avaritia, superbia curarit unquam belluæ animum vel homo vel Deus? Nulla man-

suescunt arte his in verbis animarum morbi. Sed mortuo suffeci Judæo Valentem. Conquerentur, scio, Calabri Judæum decessisse Judæo, forte et Arabem e Mahometis secta missum conquerentur: videbimus.—Sic acta est fabula, quibus ferocire, nocere, pessumdare ludus erat.»

—«Belle, belle!» exclamat Oppedius. «Nam is non fui de quo quicquam litterati queri possint agitasse unquam animo consilii, quod Musis injuriosum videretur.—Nomen igitur tuum et decus,» infit Mercurius, «commendabunt litteratæ immortalitati. Sempiternum per ævum volitabis vivus, ut gloriabatur de se moriens Ennius, per ora virum. Sed me vocant jussa Jovis. [pg XXXIV] Valete, cari Manes. Fruimini læti et securo in otio, Elysii campi deliciis, et vobis fruimini alter altero. Vetant quæ habeo in mandatis esse vobiscum diutius.» Tunc celeri raptus alarum remigio evolavit.

Superest vero mihi, VIR SUMME, ut paucis de me dicam, quo sim notior tibi, quam esse possum, si non dixerim. Vivebam ante annos centum in Hispania, Toleti nata. Ingenio, eruditione, forma præstiti, et omnibus excellui virtutum dotibus, quæ ingenuas decent. Non in abjecta animi demissione, non in sordida rei familiaris cura, non in vili nugarum studio virtutem mihi positam habebam: liberalibus navare operam disciplinis, scriptis pulchram mihi et æternam parere famam, ad summam sapientiam niti, non ad summas contendere opes, id demum optimum putabam, laudabile prædicabam: quod tamen fœminæ pleræque omnes per ignaviam negligunt; homines multi, per socordiam stultam et furentem, contemnunt. Quamobrem veri amans libere malos insectabar; quæ sentirem de flagitiosis et impuratis ultro intonabam. Velut quadam in curuli sedens sella, morum Censuram exercebam, plaudente e cœlo Pudicitia. Me suspiciebant omnes, et ob os ora obvertebant sua. Nobilium imprimis fœminarum spurcis infensa libidinibus infremebam: quo injecto saltem pudore ad meliorem revocarem frugem, nihil non agebam: pati non poteram specie prælucentes, nobilitate commendabiles, brevis gaudii aut spe aut gustu, velut emotas mente, ipsas in ludibria se vertere. Dicebam, ut Virtuti honestum et gloriosum est nudam sisti ob oculos mortalium, sic Vitiis esse ignominiosum. Quæ meretricie viverent, ideo volui e fornicibus suis, in quibus latebant, in scenam humanæ vitæ nudas educere, quæ essent documento impune non peccari, mulieres quasdam superbi nominis et oris, et alto cretas sanguine. Nam, quas Tulliam, Octaviam, [pg XXXV] Semproniam, Eleonoram, Isabellam voco, eæ fuerunt Ducum, Marchionum, Comitum aut uxores aut sorores. De his enarro nihil quod vere non factum sit, et ut eram a mendacio et ab omni dissimulationis et simulationis specie alienissima, liberiori omnia sermone exsecuta sum, qui solus conveniebat.

Satyram Sotadicam inscripsi opus, quod Colloquiis sex complexa sum, et infra mensem absolvi. De Sotade nihil est quod dicam. Rerum amatoriarum scriptorem fuisse liberrimum, neminem fugit. Sed puellam ad scribendum his de re-

bus animum appulisse, post Elephantidem et Philænim, nihil mirum videri debet. Fuerunt et aliæ hoc scriptionis genere celebres. Et sane aptiores sunt fœminæ his rebus depingendis, si quæ sint cordatæ, si quæ non fatuæ procacitatis. Libidinum ipsæ sunt campus in quo nascuntur omnes, in quo efflorescunt, in quo vigent, oriuntur et occidunt. Hispanice scripsi: vir doctus Joannes Meursius, Lugdunensis apud Batavos Academiæ clarissimum lumen, Latinitate donavit adolescens; etiam adjecit, quæ mihi sane non venerant in mentem. Sed liber periit meus Hispanice scriptus, Meursii superest commentatio, non infelicis ingenii, non proletariæ eruditionis partus, quæ nec fastidium legenti creet, nec stomachum moveat Sapienti. Attico sale condita omnia. Invideri tam salsa, tam lepida, tam etiam utilia bene vivendi præcepta huic ætati tuæ bonis litteris amicæ turpe esset, et studiosis arduæ sapientiæ ingeniis durum. Quis ægre molesteque non ferret? Bonos utique mores laudet Tullius; Philosophus doceat Plato: melius sane suadebunt Publius Syrus, Laberiusque Mimi. Ferit mentem et movet qui miscet utile dulci; a qua plerumque aberrat laude verbosus Orator, strigosus Philosophus. Medicamentis vires addit, dum horrorem et odium adimit, qui in bellaria format solers Medicus. [pg XXXVI] Hæc mea fuit cogitatio. Omne mihi visa sum punctum tulisse, quæ ingeniose, quæ facete utile dulci miscuissem. Dura tamen amori silex fui: pectus nullo fixi telo. Inaccessa libidini malæ, sanctam constanter duxi vitam. Severiori virtuti assidua hæsi comes. Mores laudarunt boni, reveriti sunt mali. Et his et illis eram acceptissima. Ut Regibus, et principibus in Republica viris, sic et plebi placui miranti. Me et litterati coluerunt, litterarum, ut dicebant, bono natam. Cave de pura et proba, VIR BONE ET SANCTE, hac judices ex libertate loquendi quæ sentirem. Fœdas depinxi rerum species, non amavi. Depinxi, quia odio habebam. Inique feceris, si velis has, adversus Aloisiam tuam, pictas tabulas testimonia esse, et Tulliam, Octaviam, testes. Humanius age. Famam consule; gloriam consule nominis mei, quæ nulla obsolevit annorum injuria. Uni judicium accommoda. Vale.

[pg 1]

# ALOISIÆ SIGEÆ

TOLETANÆ

SATYRA SOTADICA

*De arcanis Amoris et Veneris*

# COLLOQUIUM PRIMUM

## VELITATIO

*Tullia, Octavia.*

Tullia. Dulce est, cognata mihi luce dulcior, tuas tandem cum Caviceo pactas esse nuptias: ejus enim in amplexibus, crede mihi, quæ te nox mulierem faciet, omnium longe maximam voluptatem tibi allatura est; te modo, ut digna est hæc forma tua cœlestis, fortunet Venus.

*Octavia.* Dixit hodie mane mihi mater, postridie [pg 2] hujus diei nupturam me Caviceo. Et domi video, quæ ad ejus rei pompam pertinent, magna apparari cura: lectum, cubilum, et cetera alia. Hæc vero plane in mentem meam gaudii minus quam timoris injiciunt; nam, quæ tandem illa, de qua loqueris, possit esse voluptas, cognata omni mihi voluptate gratior, nec scio, nec etiam opinione concipio.

*Tullia.* Te ejus ætatis, et tam teneram (nam annum vix decimum quintum attigisti), mirum minime videri debet id nescire, quod ego ætate provectior cum nupsi, penitus ignorabam quid esset, quod pollicebatur Pomponia delicii, jam per tres annos experta, ac tantopere prædicabat.

*Octavia.* Sed, te de ea re prorsus scivisse nihil (patere me liberius loqui in hoc plenæ libertatis confinio, in quo nunc sum), id profecto vehementer miror. Nam si non usus, quem certe nullum habebas, tamen multa tua eruditio adyta hæc tibi aperuisse debuit. Te sæpe audio summis laudibus tolli in cœlum, quod litteris Latinis Græcisque, ac liberalibus fere omnibus disciplinis ingenium ita imbueris, ut superesse nihil videatur quod nescias.

*Tullia.* Multus in hoc fuit pater meus, ut, quo studio formosarum et venustarum aliæ pleræque omnes famam ambiunt, ego eruditæ virginis laudem persuasum haberem esse mihi comparandam. Et aiunt qui adulari quam vera dicere satius habent, non omnino operam lusisse.

*Octavia.* Aiunt etiam qui nolunt adulari, vix pudicitiæ laudem, vix honestos mores retinuisse, quæ [pg 3] ex nostris eruditiores habitæ sunt, cum id decus ceperunt.

*Tullia.* Pudicam negarent me, quam fatentur eruditam?

*Octavia.* Nec ullam potius ob rem admirationem omnium es consecuta, quam quod bonis castisque moribus tuis eruditio non obfuerit; magnam avem contra lucem attulerit. Qui vero fieri potuit, ut, quæ virgines ducuntur, Musæ virginum laudi infestæ crederentur? Ut, quæ animorum sunt velut quædam faces, quibus ad magna et laudabilia omnes similiter fœminæ hominesque accendimur, eædem contaminare animos dicerentur? Sane dum nobis homines, per malignitatem quamdam arrogantem et stultam, eas opes invident quibus ipsi superbiunt, maledicta invidiæ miscuere. Aconita ac venena omnia non minus

homines fugiunt, quam nos fugimus, quas vocant sequiorem sexum, quia quæ nobis adimere pestis animam potest, et illis etiam potest. Si nobis eruditio est pro veneno et pro peste, ut obtrectant, quomodo rem tam malam, ut hominibus prosit (nam sibi prodesse non negant) naturam continget momento mutare? Suo si ingenio nobis est eruditio velut fons quidam omnium malorum et flagitiorum, quomodo ex eodem fonte bibent illi nectareos latices ad immortalem gloriam: nos vero infelices et miseræ Stygia quasi fluenta, quæ pectori sulphurea sint incentiva eas ad libidines, ad quas ipsi nos rapiunt imperio, aut ducunt exemplo? Nam, te sic loqui memini, cum de ea re sermonem ante hos dies cum Caviceo meo haberes. Decorum sane [pg 4] tibi est hanc ad usque diem servasse illæsam honestatis famam, cum ea pulchritudine, qua accendis etiam frigidiores, cum ea eruditione, qua etiam capis quos pulchritudo non tangeret.

*Tullia.* Quæ sic loqueris, quæ scis amore inflammari hominum corda, non ita profecto rudis es ut putabam.

*Octavia.* Nesciam ego penitus quod Cavicei oculi, frons, vultus denique totus, toties dixere mihi, ut etiam ipse taceret? Enimvero, dum ante octo dies liberius mecum agit, ad oscula mea ferri insueto impetu certe mirata sum; nec quid sibi vellet hic impetus, hic æstus, satis noveram.

*Tullia.* Aberat mater? sola eras? ab eo tibi timebatur nihil?

*Octavia.* Aberat mater; quid autem ab eo timeretur? ego certe nihil timebam.

*Tullia.* Nihil ultra basia rogavit?

*Octavia.* At ea quidem ab invita sumpsit, linguam micantem intra labia mea primora vibrans vesanus.

*Tullia.* Quis tibi tunc sensus erat?

*Octavia.* Fatebor: me nescio quis æstus invasit hactenus inexpertus: totis artubus concepi ignem. Credidit mihi vultum esse pudore suffusum; sustinuit aliquantisper amentiam, et petulantem manum.

*Tullia.* Perge.

*Octavia.* Manus eas furaces oderim semper, ita me demum excruciatam, fatigatamque incendio impleverunt!

*Tullia.* Rem bellam!

*Octavia.* Quid hoc est? alteram alteramve papillam, [pg 5] demissa in sinum manu, prehendit, et cum duriusculam alteram, alteramve attrectaret, impressis digitis, reluctantem ecce me prostravit resupinam.

*Tullia.* Erubescis; res peracta est.

*Octavia.* Admota ad pectus læva manu (ut gesta res est refero), conatus facile meos omnes frangebat: dextram vero sub stolam misit. Pudet, pudet dicere.

*Tullia.* Excute pudorem illum deridiculum, cogita tibi dicere quæ mihi loqueris.

*Octavia.* Mox evoluta supra genua stola, attrectavit femina. O! vidisses oculos scintillantes!

*Tullia.* Te hoc temporis momento utcunque beatam!

*Octavia.* Inducta altius manu, locum eum invasit, qui nos, ut loquuntur, ab altero sexu distinguit, et e quo equidem mihi, uno abhinc anno, copia sanguinis, unoquoque mense, manare solet per dies aliquot.

*Tullia.* Euge, Cavici, ah, ah, ah!

*Octavia.* O scelus hominis! «Hæc pars,» inquit, «me mox summo beabit gaudio. Patere, Octavia mea.» Ego ad eos sermones parum a deliquio abfui.

*Tullia.* Tum, quid ille?

*Octavia.* Illa mihi pars, vix crederes, minima rima patet.....

*Tullia.* Sed ignea, sed micanti.

*Octavia.* In eam digitum immittit, quem cum locus ille ægerrime caperet, non carui aliquo sensu urentis [pg 6] doloris. Ille vero: «Habeo virginem,» inquit, et dicto citius apertis mihi per vim femoribus quæ ut poteram obstringebam enixissime, in me resupinam se projicit.

*Tullia.* Siles? nihil præter digitum in eam partem induxit?

*Octavia.* Sensi... sed quæ mea est impudentia, quæ dicere pergo!

*Tullia.* Et eadem ego, quam tanti facis, passa sum, quæ tu. Nihil audentius sponso, quem mora omnis lacerat mirum in modum, donec sponsæ eum florem discerpserit.

*Octavia.* Sensi mea mox inter femora pondus aliquod obdurum et fervidum. Ille me vi petere; vehementi impulsu eam rem in corpus meum et in eam rimam adigere. Sed ego, collectis viribus, in alterum me latus conjeci, et læva inter utrumque corpus insinuata, eam appuli illum in locum, in quo pugna tam sæva pugnabatur.

*Tullia.* Potuisti una manu tam validam catapultam evertere?

*Octavia.* Potui. «O nequam hominem!» dicebam, «quid me tam dire vexas? Ignosce, si me amas: quo delicto id supplicii merui?» Et lacrymæ manabant ex oculis: sed enim ea erat mens mea in perturbatione, ut nequidem hiscere auderem, aut opem clamore misso obtestari.

*Tullia.* Nec ideo tamen sua te hasta transfixit Caviceus, vallumque tuum istud subiit?

*Octavia.* Injeci manum, arreptamque averti; sed rem miseram! sensi protinus me velut imbre ad [pg 7] ignem temperato perflui, nudamque, ut eram ad usque umbilicum, irrigari. Admovi iterum manum; sed cum in eum liquorem, quo ille me furor insperserat, incidissem, quasi viscatum, refugit manus metu et horrore.

*Tullia.* Igitur nec ille victor, nec tu victrix, quum parum abfuerit, quin vera sit potitus victoria.

*Octavia.* Ab eo die multo acceptior Caviceus. Et cupidine impotenti nescio qua furit animus. Quid cupiam nescio, nec dicere possim. Illud tantum scio mihi omnium mortalium Caviceum esse longe gratissimum; ab eo uno exspecto voluptatem summam, quam non intelligo, quæ qualisve futura sit nescio. Cupio nihil et cupio tamen.

*Tullia.* Nacta me es quæ in his cogitationum tuarum ambagibus tibi sim pro Œdipo. De Biblide quæ scripsit Amoris magister et interpres Naso, belle tibi utique conveniunt:

Illa quidem primo nullos intelligit ignes,
Nec peccare putat, quod sæpius oscula jungat...
Sed nondum manifesta, sibi nullumque sub illo
Igne facit votum; veruntamen æstuat intus.
Spes tamen obscœnas animo dimittere non est
Ausa suo vigilans: placida resoluta quiete
Sæpe videt quod amat, visa est quoque jungere fratri
Corpus, et erubuit quamvis sopita jacebat.
Somnus abit, silet illa diu, repetitque quietis
Ipsa suæ speciem, dubiaque ita mente profatur:
«Me miseram! tacitæ quid vult sibi noctis imago?
»Quam nolim rata sit! Cur hæc ego somnia vidi?»

Pudet somni: amatur tamen; et dum in imagine [pg 8] voluptatis ludit animus, gaudio colliquescunt summo sensus. Erubescis? Habeo confitentem, viderisque mihi dicere:

Dummodo tale nihil vigilans committere tentem,
Sæpe licet simili redeat sub imagine somnus!
Testis abest somno; nec abest imitata voluptas.
Proh Venus, et tenera volucer cum matre Cupido!
Gaudia quanta tuli! quam me manifesta libido
Contigit! Ut jacui totis resoluta medullis!
Ut meminisse juvat! quamvis brevis illa voluptas,
Noxque fuit præceps, et cœptis invida nostris.

*Octavia.* Haud inficias ibo: obversatur mihi ob oculos, diu noctuque, Caviceus, mentemque totam spes occupat incredibilis voluptatis. Et sane similem optavi sæpe Caviceo opportunitatem, ab ea die, quam rudis et imprudens misere perdidi.

*Tullia.* Quid tum factura esses?

*Octavia.* Ipsa tibi potes dicere. Jam ego doctior essem, et ille beatior. Nondum me composueram, vestem vix deduxeram ad pedes: ille indusium condiderat, quod de femoralibus excesserat; ecce intervenit mater.

*Tullia.* Væ tibi! nam novi mulieris mores, et severitatem.

*Octavia.* Nihil tamen molestius locuta est vel Caviceo, vel mihi. Petiit subridens quos inter nos sereremus sermones? uter amantior esset? «Nam amari quis sit dignior, id non quæro,» inquit; «tu es, Cavici, nec tu, Octavia, puto, contra contenderis. Velim tamen, quandoquidem vos brevi [pg 9] junget Hymenæus (quod precor faustis avibus fiat), tu Cavici, Octaviam meam, et tuam, non pro merito, quod in ea est permediocre, ames, sed pro generosa tua indole. Annos uterque felicissimos in ea conjunctione animorum agitabitis.»

*Tullia.* Sed post, postquam Caviceus abiit?

*Octavia.* Cœpit interrogare quid id esset, quod suis ipsa oculis de utroque viderat. Ego excusare culpam; urgere mater verum faterer. Queror ab eo me fere oppressam; quid vellet, quid quæreret me nescire; me quidem non peccasse, quod scirem. Pergit quærere, et sciscitari an corporis mei integritatem violarit: nego. Monet in posterum ab eo caveam, minas addit ni fecero. «Nam,» inquit, «ante multos dies illi jungenda es, nata; sed pro certo habe, si de te, ante id tempus, solidam voluptatem ceperit, aut penitus discessurum: aut si constantiæ laudem maluerit, te tamen contemptui habiturum. Quarum rerum infelicior utraque plane est, quam ut puella generosa æquo animo ferat, mortem ipsam æquiori ferat.» Ab eoque die solerti cura mater invigilavit, me ut Caviceus nunquam inveniret solam. Nec cum sola est collocutus.

*Tullia.* Sane, cui in prima adolescentia (at adolescens valde est Caviceus), frui contigit usura amati corporis, re patrata, quod Stagyritem non fugit, eam plerumque odio habet quam insano antehac amore deperibat. At vero, Octavia, ingenuitatem tuam admodum laudo, et quam ego tecum etiam [pg 10] ingenue agam, faciam ne dubites. Petiit a me ipsa mater tua, ut arcana hæc reconditiora nuptiarum ostendam tibi omnia, doceamque qualis esse debeas marito tuo, qualis maritus circa res hujusmodi, ob quas homines inflammantur, futurus sit. Hac nocte, quo liberiori omnia condoceam sermone, una meo in lecto decumbemus, quem dulcissimum mihi Veneris stadium vocare apte possim. Postera concubinum experieris jucundiorem, quam ego fuerim concubina.

*Octavia.* Rides, Tullia; apage ab his dictis, quæ amori in te meo injuriam faciunt, quam tuus non ferat, si ex animo me amas.

# COLLOQUIUM SECUNDUM

TRIBADICON

—

Octavia. Habet nunc idem nos lectus tuus, in quo voluisti me sæpe, non solummodo tecum, sed etiam in amplexibus tuis noctes ducere, cum Callias abfuit maritus tuus.

*Tullia.* Duxi interdum insomnes, quod, tuo amore per omnes venas misso, quo me macerabam, velut incendio urerer.

*Octavia.* Me amabas? nec etiam amas?

*Tullia.* Amo, cognata, et misere pereo.

*Octavia.* Peris tu vero, quam vita mea servari malim incolumem? Quæ hæc est ægritudo animi? Nam te corpore bene quidem valere, omnia faciunt ne dubitem.

*Tullia.* Ut tu Caviceum, sic te ego.

*Octavia.* Aperte loquere: quæ est ista verborum caligo?

*Tullia.* Sed primum a te tam venusta, tam formosa, [pg 12] tam tenera, abige etiam procul a te quicquid id est pudoris.

*Octavia.* Cum nudam me voluisti ingredi lectum tuum (et obsequuta sum), ut ingressuram me dixisti cum dabor Caviceo fruenda, nunquid satis pudorem procul a me omnem abegi?

*Tullia.* Nam Lydorum dixit olim Regina: «Exui tunicam simul et deponi pudorem.»

*Octavia.* Te hortante vici timiditatem meam, te duce vici me.

*Tullia.* Da mihi suavium, suavissima virgo.

*Octavia.* Quidni? quot voles et quod voles.

*Tullia.* O speciem oris divinam! O luce lucidiores oculos! O formam Veneream!

*Octavia.* Et operimenta dejicis? jam nescio quid timerem, quod tibi imprecor, si Tullia non esses. Ecce me nudam habes, quid præterea?

*Tullia.* O Dii! personam agere Cavicei, dedissetis ut vellem, posse!

*Octavia.* Quid istud est? Ambas papillas meas, ut tu nunc, prehendet Caviceus? Oscula osculis tam frequentia miscebit? Labia, collum, mammas morsibus his petet?

*Tullia.* Isthæc, corculum, præludia erant ad pugnam, et promulsidaria ad plenas Dionæas epulas.

*Octavia.* Apage, corpus totum manu pererras; inferius demittis manum. Quid femora attrectas mea? Ah! ah! ah! Tullia. Quid eam, amabo, partem vellicas? Nec oculorum ab eo loco dimoves aciem.

*Tullia.* Cum voluptate conspicio curiosa istum Veneris campum, non latum, non spatiosum quidem, [pg 13] sed amœnissimis deliciis plenum, in quo Martis tui vires hauriet inexhausta Venus.

*Octavia.* Sana non es, Tullia. O si Caviceus esses, jam ego in tuto non essem: nam sedens quid jacentem per omnia membra adversam aversamque oculis lustras? Est nihil in me quod pulchritudinem tuam superet: ipsa te tuere, si quid tueri velis, quod et possis amare et debeas laudare.

*Tullia.* Fatua sim, non modesta, si me negem pulchritudine aliqua præditam; nam et floret ætas, sextum supra vicesimum vix complevi annum. Partu uno a me Callias pater est. Si quæ in tuos sensus ex me voluptas dilabi potest, fruere, Octavia, nihil moror.

*Octavia.* Nec etiam ego. De me gaudii, quicquid capere poteris, id capias, per me licet. Sed scio tibi a virgine, ut sum, nullam venire posse voluptatem, nec etiam a te mihi, quamquam vere sis velut leporum et venustatum omnium mirabilis hortus.

*Tullia.* Hortum quidem habes, in quo Caviceus suavissimis fructibus libidinem suam libidinosam pascet.

*Octavia.* Hortum non habeo, quem etiam non habeas iisdem fructibus uberem. Hortum vero quid vocas? ubi situs? qui sunt hi fructus?

*Tullia.* Percipio nequitias tuas: hortum certe tuum, quæ de meo objicis, tam nosti, quam ego meum.

*Octavia.* Eo forte vocas vocabulo partem eam quam dextra tua expansa occludis, quam digitis [pg 14] vexas, quam summis unguiculis sollicitas mihi ad pruritum?

*Tullia.* Ista est, cognata, cujus usum inepta nescis; sed faxo scias.

*Octavia.* Si scirem extra nuptias, nec proba essem, nec amore tuo digna, tam dissimilis tibi. Verum, quis futurus sit usus ille, edoce. At enim repone te in lectum: nam sedendo, ut facis, et tibi et mihi creas molestiam.

*Tullia.* Faciam tibi satis. Nunc arrige aures: tam sane arrexerit Caviceus facile et frequenter, ut tu aures ad hunc sermonem arriges. Faxit Venus! omen cape, Octavia.

*Octavia.* Capio omen. Cachinnos edis? Quid latet, sub his verbis, nequitiæ, sane non video.

*Tullia.* At senties quid hoc sub omine deliciarum optetur horto tuo.

*Octavia.* Surdæ loqueris.

*Tullia.* Faxit Venus audias atque intelligas! Hortus ille tuus, quem nec verna nec hiberna tempestate flores fructusque Venerei deficiant, velim, locus is est, cognata, quem sub inferioris ventris tumore lanugo obnubit, tibi quidem mollior; pubem vocant. Hæc documento est esse viro aptam et Veneri maturam virginitatem, in ea puella in qua exorta primum efflorescit. Cymbam, navim, concham, saltum, clitorium, portam, ostium, porcum, interfemineum, lanuvium, virginal, vaginam, facandrum, vomerem, agrum, sulcum, larvam, annulum Latini dixere; Græcis vero est αἰδοῖον et δέλτα et χοῖρος et ἐσχάρα. Julia Augusti filia dicebat, ideo se Agrippæ [pg 15] marito parere quam simillimos liberos, quod nunquam nisi plena navi vectores tolleret. Ἐσχάρα focus et caminus est; χοῖρος porcus; δέλτα littera apud Græcos est hoc nomine, sed ejus litteræ figura ab horti nostri forma oppido differt. Volo te, cognata, evadere ex amplexibus meis hac nocte doctiorem, quam si somniaveris in Parnasso, ut etiam possis Græce concumbere: audivisti de Juvenale.

*Octavia.* Malim esse docta, ut tu es, cognata, quam satiari voluptatibus. Cum te video tam juvenem et tam doctam, opto te fieri Caviceum. Quam læto tibi animo omnes corporis dotes prosternerem!

*Tullia.* Amplexare me, cara virgo, amore tuo furentem. Qua licet, oculis et amplexibus, meas patere nequitias. Nihil inde Caviceo deperibit, nec tibi. O vanos conatus meos, quicquid aggrediar misera! Quam efflictim te depereo!

*Octavia.* Solare amorem tuum, et illam mentis impotentiam sequere. Quæ voles, maxime volo.

*Tullia.* Ergo hortum tuum istum dono da mihi, ut ejus sim domina: non utilis tamen, quæ nec clavim habeo qua fores aperiam, nec malleum quo pulsem, nec pedem quo subintrem.

*Octavia.* Dono do profecto, quæ tota sum tua. Habeam aliquid quod juris tui non sit? Obvertis te in me: quid hoc est rei?

*Tullia.* Nec refuge, amabo, aperi femora.

*Octavia.* En. Totam me jam occupas: os ore premis, pectus pectore, uterum utero: amplectar etiam te, cum me amplecteris.

[pg 16] *Tullia.* Tolle altius crura, superinjice femoribus meis femora. Artifex tibi sum ego Veneris novæ, quæ nova es. Quam excellenter pares! Non ita egregie possim imperare, ut tu obsequeris.

*Octavia.* Ah! ah! Tullia mea, hera mea, domina mea, ut me pulsas, ut te agitas! Velim extinctos cereos illos, pudet lucem testem habere patientiæ meæ.

*Tullia.* Age intente quod agis. Ut ego adsilio, tu subsili; exagita crissantes nates, ut agito, et in aera mitte, ut poteris altius. Times te anima deficiat?

*Octavia.* Sane me rapidis his fatigas concussionibus; opprimis me; vim tam efferatam ab alia paterer?

*Tullia.* Tene, amplectere, Octavia, excipe… En, en fluit; furit pectus, ah! ah! ah!

*Octavia.* Hortus mihi tuus hortum meum incendit; abscede.

*Tullia.* Agedum, Dea mea, tibi ego vir fui, mea sponsa! mea conjux!

*Octavia.* O utinam mihi vir esses! quam amantem haberes uxorem! quam amatum haberem virum! Enimvero, etiam tu hortum meum imbre proluisti, quo me sentio perfusam: quam ignominiam depluisti in me, Tullia?

*Tullia.* Nempe perfeci opus; et Venereum virus ex cæca navis meæ sentina projecit in cymbam virgineam tuam amor cæco impetu. At in imis præcordiis, major unquam permovit sensus tuos voluptas?

*Octavia.* Nullam fere, ita me Venus amet! ex ea [pg 17] re quam fecisti, animadverti me percepisse voluptatem. Commotior paululum fui, cum te commotissimam sensi, et ex ardore tuo scintillæ aliquot in eam partem, quam obruebas tuis crebris subsultibus, inciderunt. Sed de incendio potius monuerunt, quam incenderunt. Verum, dic mihi, Tullia, iste etiam morbus tuus aliarum fœminarum mentem invadit, ut puellas ament et petant?

*Tullia.* Amant et petunt, nisi quæ sunt stolidæ et saxeæ. Nam quid gratius puella nitida et polita, ut tu nitida et polita es? Sic Iphim nondum puerum Ianthe urebat:

Iphis amat, qua posse frui desperat, et auget
Hoc ipsum flammas, ardetque in virgine virgo.
Vixque tenens lachrymas: «Quis me manet exitus?» inquit,
«Cognita quam nulli, quam prodigiosa, novæque
»Cura tenet Veneris? Si Di mihi parcere vellent,
»Perdere debuerant; si non et perdere vellent,

»Naturale malum saltem de more dedissent.
»Non patris asperitas, non se negat ipsa roganti,
»Nec tamen est potiunda tibi: nec ut omnia fiant,
»Esse potes felix, ut Dique hominesque laborent.
»Nunc quoque votorum pars nulla est vana meorum.
»Dique mihi faciles, quidquid valuere, dederunt.
»Quodque ego, vult genitor, vult ipsa, socerque futurus;
»At non vult natura potentior omnibus istis,
»Quæ mihi sola nocet. Venit ecce optabile tempus,
»Luxque jugalis adest; et jam mea fiet Ianthe:
»Nec mihi continget; mediis sistemus in undis.
»Pronuba quid Juno, quid ad hæc, Hymenæe, venitis
»Sacra, quibus qui ducat abest, ubi nubimus ambæ?»

[pg 18] Fatendum utique est, Octavia mea, libidinosissimæ sumus pleræque omnes. Audis Quartillam Petronianam? «Junonem meam iratam habeam, si unquam meminerim virginem fuisse: nam et infans cum paribus inquinata sum, et subinde prodeuntibus annis majoribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem pervenerim.»

*Octavia.* Hactenus, Tullia, et probe nosti, non corporis tantum, sed et puræ mentis agito. Stolidam voces et fatuam. Sentio tamen jam jam me libidine tangi, et Veneris cupiditate. Nuptiarum prope adesse mihi diem, etiam ultro æstui meo gratulor Venereo; nam, opinor equidem, si cubent nobiscum viri, solidam nos et veram tantum in eorum amplexibus nancisci posse voluptatem.

*Tullia.* Recte judicas et senties postera nocte: fortunet te Lampsacenum ferculum! Sed tumor ventris, imprægnatio, partus, consequi solent hominum liberiores nobiscum lusus, et «turgentis verbera caudæ.» Extra nuptias periculis et infortuniis infesta, quæ puellas ad plenum coitum vocat et impellit Venus. Sub Hymenæo libera et læta; e contrario omnia. Quo flammeo obnubunt novæ nuptæ caput, obnubunt et omnia libidinis suæ facinora; hoc velo perspicaces legum et vulgi oculos feliciter fallunt. Igitur, Octavia, alia via virginibus, et cœlibem ducentibus vitam, eundum fuit ad voluptatem, ad quam vides omnia animantum sæcla, ut Lucretius loquitur, impetu ferri, quem nulla nisi ipsa vis Veneris emolliat. Itaque virginem amari a virgine nihil mirum: quandoquidem [pg 19] et maximi Heroum invenerunt olim suo in sexu incentiva libidinis suæ.

*Octavia.* Etenim virgo non es, quæ virum experta es; plena tibi liberum est voluptate potiri. Qui fieri potest ut me ames? ut ea via Venerem quæras, qua Venus aberrat semper a Venere?

*Tullia.* Primum, Pomponia mea (nihil enim ex rebus meis volo te lateat), cum familiariores altera alteri a crepundiis essemus, ante hos annos, sic cœpit

mecum colluctari ingeniosa, sed procax; libidinosa, ut nulla magis, sed cauta ut etiam nulla magis. Abhorrebat a principio ab ea re animus meus: paulatim assuevi huic, ut loquebar, molestiæ; et exemplo præibat Pomponia, usuram corporis sui non modo accommodans petulantiæ meæ, sed et ipsa jubens, dulcissima mihi pellex, et sibi lena. Demum factum est longo hujus voluptatis usu, ut ab ea me vix queam abstinere; sed ubi fulgetris tuis innumeris cor meum perculisti, Octavia mea, amore tuo ita exarsi, ita exardeo, ut omnia, imo Calliam meum, præ te habeam despectui, et in amplexibus tuis mihi credam repositam voluptatem omnem. Noli præterea me putare proterviorem. Nam hic mos ubique fere terrarum inolevit. Italæ, Hispanæ, Gallæ fœminæ invicem amant altera alteram; et si pudor absit, omnes confestim, altera in alteram, ruant prurientes. Lesbiis præsertim olim id sceleris familiare, quod Sapphus nomen commendavit, atque adeo nobilitavit. Illius lumbos Andromeda, Athis, Anactorie, Mnais, et Girino amasiæ, quam sæpe fatigarunt! Ejus generis heroidas Græci Tribadas [pg 20] vocant; Latini Frictrices et Subagitatrices. Philænis vero, quod huic voluptati indulgeret perditissime, invenisse credita est, et usu suo, quæ scilicet magni nominis erat, inauditæ ad suam ætatem voluptatis usum fœminis puellisque apud suos suasisse. Tribadas dixerunt quod tererent ac tererentur; frictrices a corporum frictione; subagitatrices a motu concitatiori. Quid plura? Octavia mea, agere et pati mulieris est non inficetæ, ac cui cor salit sub pectore.

*Octavia.* Hercle! mira narras, sed jucunda æque ac ridicula. Tu igitur jam audies et tribas et frictrix et subagitatrix: quam me vero dices?

*Tullia.* Cypridem meam mollem, mellitam, auream. At enim nihil admovi quo fieres minus integra, quo perfringerem ostiolum istud tuum, quo delibarem virginitatem istam tuam florentem.

*Octavia.* Quo potuisses, scilicet?

*Tullia.* Milesiacæ compingebant sibi e corio veretra octo digitos longa, et pro modo crassa. Aristophanes author est his uti solitas fœminas sui ævi; ac hodie quoque Italis, Hispanisve maxime, sicut et Asiaticis mulieribus, id instrumentum mundi muliebris et pretiosioris supellectilis præcipua pars est: magno in pretio habetur.

*Octavia.* Non intelligo id quid sit, cuive usui.

*Tullia.* Olim intelliges; sed ad alia nostra deflectat confabulatio.

[pg 21]

# COLLOQUIUM TERTIUM

## FABRICA

——

Octavia. Ah! ah! ah! Tullia, ut tu in me prosiliisti! O si te hominem fecissent Dii!

*Tullia.* Eodem omnino modo prosiliet in te, divaricatis femoribus jacentem, vir tuus. Os occupabit osculis, papillas illas sororiantes exsuget, pectus premet pectore, totam opprimet, concutiet, sed multo et validius quam ego potui, qui et validior multo et vegetior. Motus ciebit quo lectus, in quo cubabis, contremiscet, ipsiusque adeo cubiculi contignatio. Nam qua prima nocte vim intulit pudicitiæ meæ Callias, eo impetu et corporis viriumque nisu in me furebat ruebatque, ut contremere lectus meus audiretur ab iis, qui in proximo cubiculo pervigilium Veneris meæ celebrabant. Vide, amabo, quid de me in hoc certamine sit factum, a quo tamen victoriæ laudem retuli.

*Octavia.* Quid de me fiet, si tam rudem nacta [pg 22] fuero athletam? Nam tu annis major et corpore habilior, quam nunc sum, eras, cum tradita es Calliæ fruenda: profecto video multam mihi crucem paratam.

*Tullia.* Haud negem, Octavia, multum tibi laboris ferendum; et si negem, illuserim profecto inscitiæ tuæ. Sic se res habebit.

*Octavia.* Doce diligenter omnia quæ me scire convenit. Quis hic dolor futurus est? quam acer, et quam diuturnus? Malim certe ego momento acriorem, quam mediocriorem et diuturniorem.

*Tullia.*

Nec tu non aliquid, sed prima nocte dolebis.
Omne in amore malum, si patiare, leve est.

*Octavia.* Patiar certe, et spero forti constantique animo: nam quid facerem? Verum, age, quid patiar?

*Tullia.* Eam corporis nostri partem, de qua jam colloquutæ sumus, vulgo etiam *vulvam*, *cunnum*, *fregnam*, *ficum*, *potam*, Latini et nostri homines appellant; *vulvam* quasi valvam dicere voluissent; *cunnum* a cuneo, quod vi multa enitendum sit in eam primis in congressibus; aut a Græco verbo κυνός, quasi, qui fœtor in ore canis esse solet, idem etiam plerumque in hoc infimo corporis nostri ore esse soleat; aut a Græco κόννος, quæ vox barbam sonat, quia hac in parte nos barbatas inepti jocantur, lanuginem quæ pubem nobis circumvestit barbam vocitantes; aut potius ἀπὸ τοῦ κόννειν, quod intelligere significat: sicut enim a *mente mentulam* dixerunt, [pg 23] sic etiam *cunnum* ab intelligentia. Nimirum et mentulam sicut se ipsa regit, ut mente prædita esse videatur, mentis quæ in capite sedet imperiis parum obsequens: ita hic et per se agit, et per se intelligit, in rationis leges rebellionem movens, quæ solo possit non mentis, sed mentulæ beneficio componi. Nos honestiori appellatione pudendum appellamus; cujus labra quibus occluditur, cadurda dici apud veterem grammaticum legi. In hanc primum partem totis viribus torquebit immanem hastam suam Caviceus; hoc momento magnos tibi cruciatus dabit, mox et majora gaudia.

*Octavia.* Cito citius doloris oblivionem gaudia afferent!

*Tullia.* Vides mirabilem ejus fabricam. Primo quodam tumore, quem lanugo tibi mollis tegit, protuberat; nec credas intra femina ob turpitudinem, quæ sane illi nulla est, conditam, sed ad usum repositam. Tumorem illum monticulum Veneris vocitant: quem qui semel inscenderit, Octavia mea, Parnasso, Olympo, montibus sacris anteponat semper.

*Octavia.* Inscensorem habeam, æque ac es, jucundum! Non erit quod Parnasso Apollinem suum, Olympo Jovem invideam.

*Tullia.* Duæ sunt rimæ, altera sub altera, quibus monticulus hic ad plenum dehiscit coitum. Priorem magnam vocant, altera interior est. Illa partui opportuna; nos enim, Octavia, velut quædam officinæ sumus generi humano excudendo. Si angustior esset, dum fœtus in vitales auras editur, distendi non posset absque horribili cruciatu: et distendi et [pg 24] dilatari necesse est. Adolescentiores, cum primum attingendi hujus loci potestas datur, æque intus patere

puellas fœminasque putant, ac exteriori hoc patent ostio, et vidi qui horrerent ridiculosi. Interior autem minor est; labra vero quæ latera tegunt majoris rimæ, cadurda dixi vocitari. Alæ sunt intra reconditiorem illam rimam, mihi quidem prominentiores: nymphis his nomen est. Sed sub alis in virginibus, qualis tu es, exsurgunt quatuor velut valvulæ. Occludunt eæ ad uterum iter, quod primis in congressibus, sine vi et conatu multo, vir non aperiat libidini suæ.

*Octavia.* Præsentisco, in eo conatu omnis erit doloris, de quo narrasti, acerbitas.

*Tullia.* Sine institutam absolvam descriptionem: ut sunt simul junctæ hæ membranulæ quatuor in canaliculum desinunt, quasi caryophylli est. At non transversam, quasi obductæ, tenent uteri viam: versus exterius horti ostium objiciunt se erectæ; interdum vero aliquantisper sursum versus dehiscunt; hac scilicet demittuntur via, qua a corpore nostro excreta expellit foras vis naturæ. Sed de clitoride me fugit dicere: speciem penis refert membranosum corpus in extrema fere pube. Ac si penis esset, obdurescit tentigine; improba adeo titillatione fœminas inflammat vividioris paulo naturæ, ut adhibita manu, si irritentur ad Venerem, plerumque non exspectato conscensore ipsæ sponte colliquescant. Profecto dum me Callias nequitiis suis conscelerat, dum demulcet, dum attrectat, idipsum sæpe sæpius experta sum. Intra ipsius manus, in his locis liberius [pg 25] ludentes, copiosus decidit ex horto meo roscidus humor. Hinc illi in me jocorum larga seges, et facetiarum campus. Sed quid facerem? in cachinnos erumpit, rideo ego. Petulantiam ejus increpo, increpat libidinem meam; ludus sumus alter alteri: et dum ludimus verbis, re prosilit in me, sternit volentem nolentemque, init jacentem, et quod humoris hortum meum amisisse jocatur, vi magna refundit e suo, nihil ut querar per ejus culpam mihi periisse.

*Octavia.* Beatam vivitis ambo vitam, et deliciis plenam; alter alteri estis oppido satis ampla felicitas.

*Tullia.* Demum, quod ab horti ingressu ad summum hortum interjacet itineris, vaginam appellant, in quam se penis, dum concutitur mulier, induit. Uteri modo collum, modo cervicem, modo sinum pudoris medici vocant. Amplexatur vero, constringit, exsugitque virile membrum, quod in eam vaginam impellitur, et inseritur. Hic est, Octavia, velut tubus, per quem genus humanum ab alta nihili caligine transit in vitæ lucem.

*Octavia.* Rem ita depingis, ut videar mihi ea etiam omnia quæ indita latent in imis meis visceribus, quasi ob oculos posita.

*Tullia.* Tibi quidem, cognata, hæc interior rima, quique eam consequitur sinus, minus patent quam mihi. Age, hæc omnia defixo obtutu introspiscere libido est: aperi crura quam maxime, quod tibi commodum fuerit.

*Octavia.* Aperta habes: quid mihi tunc cum his [pg 26] oculis tuis emissitiis? Diducis digitis hæc utrinque labra: quid intro vides?

*Tullia.* Dulcis virgo! video florem, quem qui videret, floribus præferat odoribusque cunctis.

*Octavia.* Ah! Tullia, contine, amabo, lascivam manum; retrahe hunc maleficum digitum, quem intromittis; mihi vere dolorem, dum altius agis, inflixisti.

*Tullia.* Misereor tui, o concham pretiosam, Veneri concipiendæ meliorem quam hæc fuit concha, e qua aiunt ortam Venerem! Bonis avibus natum Caviceum, cui hic nova nascetur in hac concha Venus!

*Octavia.* Enim vero dicis miserere mei te.

*Tullia.* Scilicet te video excarnificandam miseris modis.

*Octavia.* Qui fiet? quid miraris?

*Tullia.* Ut parvo tuus ostio hortus apertus est, ut difficilem ostendit ingressum, timeo ne Caviceo etiam labor incumbat, quem molestiorem habeat quam gratiorem, ut sit etiam gratissimus. Vidisti ejus catapultam, qua est castrum istud tuum diverberaturus?

*Octavia.* Non vidi: sed ecastor sensi, qualem fingunt Herculis clavam, crassam, rigidam, et bene longam.

*Tullia.* Dixit probe mater mutoniatum esse, vehementer gaudet; mentulatiorem in hac urbe nostra hominem esse putat neminem. Respondi hæc jactanti, Calliæ viro meo machæram esse latos octo digitos longam: nihili eum esse hominem ad Caviceum [pg 27] reposuit. Se quidem dolere sortem tuam et invidere: eam gratulari tibi multum; Caviceo penem esse ait longum digitos undecim, crassum vero ut brachium habes, qua cum manu committitur.

*Octavia.* O monstrum! Et hanc omnem molem in corpus meum vi trudet? Pati potero? Jam cor dolet, cum venit in mentem quantæ me miseram ærumnæ maneant.

*Tullia.* Ne tamen desponde animum. Longitudine cedit Callias Caviceo: Caviceus profecto crassitudine Calliam non vincit. Nam brachium hoc meum vides?

*Octavia.* Video ædepol. Cæca sim ni videam.

*Tullia.* In hunc modum illi mentula turgescit, cum irascitur ea in me: nunc tamen hæc machæra bene convenit in vaginam meam.

*Octavia.* Quæ tandem illa est vagina tua victrix, fulminatrix, velim scire.

*Tullia.* Non tam discrepant pulices a pullis, quam a mea hæc tua. En inspice, intuere, explora.

*Octavia.* Projice te in lectum, et statue supinam: nam videre probe nequeo cum sedes.

*Tullia.* Jaceo, intuere omnia diligenter. Utile id tibi, et mihi dulce.

*Octavia.* Chasma video: quale Curtium mersit et absorpsit armis onustum, equo vectum, video! Admovebo manum, diducam latera: manum etiam totam libere mittere intro possim, si velim. Digitum meum, quippe qui Venereus est,

indere libet, qui campum hunc omnem quantus est pererret, de eoque nuntiet mihi quam latus, quam altus, quam [pg 28] mentulæ commodus. Euge, ipsi imo Priapo conveniat, ah! ah! ah! vel si quis Priapo mentulatior. Verum et nares afflat meas spiritus teter:

... Talis sese halitus atris
Faucibus effundens nares contingit odore.

Quam male olentes hic tuus hortus fert flores! Ex his pigeat Venerem sertum fieri sibi, aut coronam.

*Tullia.* Faceta es, cara virgo, et salse loqueris. Tu autem, qualis nunc sum, et intra paucos menses eris postquam pepereris; et patebis immensum, ut patere me vides; et hiabit infima hæc uteri sedes, ut hiat mihi; et quæ nunc hac parte tam pura es spiritu, quam es ore, nocenti perflabis nares meas odore, manumque, si te contigerit, inficies. Hæc sunt nuptiarum incommoda, hæc sunt voluptatum nostrarum accessiones. Sic, ne dubites, fiet.

*Octavia.* Id quomodo fiet? cupio scire.

*Tullia.* Postquam hominis membrum illud in suam excrevit magnitudinem, penetrat se eo furore in corpus nostrum, ut omnem locum conspurcet, contaminet, polluat.

*Octavia.* Sed promissorum te non capiat oblivio.

*Tullia.* Intelligo quid quæras, adsum. Partem eam tamen virilem, tam efferam, tam impotentem, variis laudibus prædicant quæ amant, quæ expertæ sunt; ulla nec est experta quin amet.

*Octavia.* Amabo igitur vehementer, cum experta fuero.

*Tullia.* Præclare. [pg 29] *Veretrum, mentulam, penem, phallum, taurum, machæram, pessulum, peculium, vasa, vasculum, pomum, nervum, hastam, trabem, palum, mutonem, verpum, coleos, scapum, caulem, virgam, pilum, fascinum, caudam, mutinum, noctuinum, columnam*, appellatione partim propria, partim translata vocant Latini. Græci varia etiam vocabula: nam φλέψ, καυλός, γονίμη οὐρά, κριθή, πέος, σάθη, ἔμβολον, στῆμα, σύριγξ, κάπρος, τύλος, κωλῆ, ῥάφη, ἀναγκαῖον dicitur et ῥαφίδος. Extra rei Veneræ usum, iners et pendulus jacet homini nervus; ad eam vero rem arrigitur, intumescit, furit, in eam crescit magnitudinem, quæ nobis primum incutiat vehementem metum, mox quidem acrem virginibus dolorem ferat, ac post devirginitatis summam voluptatem, quæ et metum et dolorem longe superet.

*Octavia.* De voluptate nescio, nec de dolore scire velim: utique de metu sentio.

*Tullia.* Subtus et ad radicem ejus vasculum cohæret, scrotum vocant, pilis multis, crispis, duriusculis obnuptum et opertum. In eo virilitatis testes, iidemque

nobis amoris erga nos hominum benefici testes.

*Octavia.* Non vidi, non audivi de his testibus: expedi quid rei sit.

*Tullia.* Globuli sunt duo non adeo parvi, non exacte rotundi, admodum duri; et quo duriores, eo aptiores ad libidinem. Quod duo numero sint, didymos ob eam rem Græci appellant, et id nomen magni viri tulerunt multi. Fuerunt quibus unum præterea naturæ adjecit munificentia, ut tres haberent. Hoc in numero Agathocles fuit Syracusanorum tyrannus, quem idcirco Τριόρχιν nominarunt. Nota [pg 30] est eo nomine apud nos Coleonum gens nobilis, quæ Bartholomæum illum Coleonem Imperatorem summum in Italicis bellis tulit. Omnes in ea viri fere tribus testibus ad Veneris duella, ut præstantibus animis ad Martis certamina, vigent. Fortunatæ quas uxores habent! nam in testium anfractibus ambrosii illius roris velut officina est, qui nos tam amicabiliter demulcet, et vulnera quæ penetrando in corpus nostrum mutinus fecit, mirabiliter curat, diu ne doleant; cui debeo pupulam meam; cui debeo omnia gaudia mea; cui se fert acceptum genus humanum. Semen vulgo vocant et sperma, alterum Latinæ, alterum Græcæ originis. In sulcos enim fœmineos projectus, mox in hominem fingitur. Omnium animalium homo maximam seminis copiam emittit: quibus autem tres fabri in eam rem laborant, ut etiam Fulvio Pomponiæ meæ fratri, sane eorum opera fœminas abundantiori imbre proluunt, quam quibus solum duo; et res, ut loquor, sic est.

*Octavia.* Forte et tres Caviceo insunt, ita me ejusmodi roris pluvia totam ad usque fere umbilicum aspersit, indusium madefecit.

*Tullia.* Vegetum juvenem et tuæ Veneris cupidum, cognata, turpe esset exsiccatis tibi vasis litare, Venerique tuæ. Reliqua persequar. Liquor hic spumosus, albus, viscidus, veretri sputum, ab eo loco in quo excoctus, perfertur ad summum virgæ caput, moxque propellitur tanto impetu, ut tres etiam pedes longe a se evomat, qui ejaculatur. Igitur cum opus ad finem venit, post multas concussiones, tam rapide in imum uterum projicitur, ut [pg 31] quibus sensus fœminis non penitus torpescit, impeti, et igneo se intro imbre rigari magna sentiant cum voluptatis titillatione. Verba desunt, Octavia, quibus apte satis eam voluptatem depingam; tute tibi dixeris intra paucas horas.

*Octavia.* Scilicet ex summo virgæ capite fluant hi lactei rivi? Priapo quidem caput esse non negem, qui quod mentulatissimus esset, Lampsacenos inter homines esse desiit nempe ut Deabus proximus esset, ut audivi a te; sed illi hominum membro caput etiam esse nesciebam, quæ homini cuilibet duo esse capita, inepta, nesciebam.

*Tullia.* Et fuerint profecto beati, fortunatique, ac summa inter Heroas gloria, quibus etiam fuerint tres penes! Extremam penis partem in oblongum effictam, vocant caput, balanum, et glandem; quam si summis digitis compresseris, tantum abest ut dolore afficias ullo, quin imo dulciori pruritu affeceris. Nec ulla faciliori breviorique via ad Venerem tuam, cum œstro percita ardebis, Caviceum

abduxeris ex alienissimis etiam ab hac cogitatione cupiditatibus. Et operitur pileolo id Priapi caput, præputium nominant; quem vix superbus ille deponat noctuinus, nisi ut te salutet, apertoque capite dominæ aulam subeat.

*Octavia.* Mirifica es: te audiendo nulla unquam me capiet satietas; ita, o utinam! nec Calliam tecum dormientem.

*Tullia.* Connivent jam mihi mei oculi somno, quæ longæ vigiliæ sum valde impatiens. Ideoque sic loqueris, ut loquuta es, quod animadvertisti me [pg 32] somniculosam eloqui, quem tecum habeo, his de rebus sermonem.

*Octavia.* Noli somnum tenere, amabo; admitte, qui tibi jucunde blanditur.

*Tullia.* Per Venerem tuam et meam, atque adeo Cavicei! opus est tibi magis somnus quam mihi: nam proxima nocte nec eum videbis, inter Cavicei complexus, oscula, compressiones, subagitationes, furores. Refice corpus tam tenerum, tam molle: ad id certamen te para fortiter ineundum.

*Octavia.* Faciam uti vis; verum me major tuæ valetudinis cura tenet quam meæ. Obdormisce jam, nequidem verbum mittam.

*Tullia.* Osculum impinge mihi: id mihi viaticum erit ad quietem.

*Octavia.* Tibi et os, et labra, corpusque totum dedo; quos volueris ex me fructus cape, tua sum.

*Tullia.* O basia quæ Jupiter invideat mihi! o gratos complexus! o illecebrosos tactus! Permitte ut, composito intra papillas tuas ore, manu altera ad hortum tuum missa, altera ad nates illas duras et compactas affixa, sic obdormiscam, ut Mars cum Cypride sua dormire solet. Quum somno soluta fuero, qua fide cœpi, quæ supersunt repetito sermone eloqui pergam, dulcis virgo, hera mea.

*Octavia.* Loquacior es quam e re sit; tace et obdormi; age quod agis.

[pg 33]

# COLLOQUIUM QUARTUM

## DUELLUM

——

Tullia. Non possum dicere quam optime recreata sim hoc tam longo somno, qui septem per horas continuas artus meos occupavit: tu vero, Octavia?

*Octavia.* Ego vero ab hora evigilo, quam somnii horrenda species e somno excitavit paventem trepidantemque.

*Tullia.* Narra somnium, si lubet.

*Octavia.* Videbar mihi cum Caviceo esse, Tullia, sub salicum ramis, qui nos ab æstu solis tuebantur, in opaca et viridi Padi ripa deambulare. Suavissimis deliniebat aures animumque meum questibus suis Caviceus, quos præ amore fundebat: suavium petebat, negabam; suadebas darem, dedi; cepit. Cum præterea in sinum meum manum alteram demitteret, altero brachio complecteretur, tua ope, tua opera ab ejus me vix complexu explicui. Exsoluta [pg 34] in fugam me dedi, sequebatur; at cum jam esset comprehensurus, os obverto... Hem! Tullia, quid monstri video?

*Tullia.* Lupi invaserant in Caviceum, lacerabant amores tuos? an se gladio transfixerat?

*Octavia.* Bona verba! potius ipse sua me machæra transfigat!

*Tullia.* Faceti oris, salsi animi puellam!

*Octavia.* Video in fœdissimum animal mutatum, Satyris, quales in pictis tabulis videmus, quam simillimum, sui dissimillimum. Horrebat pilis totum corpus, in capite duplex ad frontem excreverat hircinum cornu, in longum finiebat acumen. Aures vero, frons, oculi, nasus, vultusque totus Cavicei erat. Pilulum intentabat mihi longius, crassiusque duplo, quam homini est sub Veneris signis merenti: cætera in hircum desinebant. Ruebat in me, stuprum poscebat, ori os admovebat. Quid plura? tam insolens rei facies me terret. Quid vero id mihi mali portendat? tu tam docta potes dicere.

*Tullia.* Et possum dicere, cognata, et dicam suo tempore: nam inpræsentiarum nihil interest tua scire.

*Octavia.* Nec me sciendi cupiditate sinas diutius torqueri, hera mea, sponse mi,

... fuit si tibi quicquam dulce meum.

*Tullia.* Dulces alieni amoris fructus, florenti tibi et teneræ: at Caviceo, non dolorem, sed injuriam violati thori, portendit insomnium.

*Octavia.* Absit longe a me hæc ignominia!

[pg 35] *Tullia.* Eos homines quorum uxores, non honesta Venere, ab aliis hominibus per libidinem se subigi patiantur, hircorum et cornutorum numero cedere vulgo aiunt.

*Octavia.* Audivi ut dicis. Igitur in eam ego perfidiam lapsura sum? Mei corporis non uni solum Caviceo usum dabo? Mortem ante oppetam, quam id admittam in me flagitii! An te alienæ etiam libidini subjecisti? absit me credere: absit etiam de me quidquam simile speres.

*Tullia.* Confabulabimur de his, cara virgo, aptiore tempore, postquam deposueris virginitatem, et te Caviceus per aliquot menses diu noctuque conculcaverit, permoluerit, protriverit. Alio tempore, et scio, alia mens erit.

*Octavia.* Mutasse te mentem omnino oportet, nec in ea nunc esse sententia, in qua eras cum nupsisti Calliæ, quæ fers id de me judicii.

*Tullia.* Quis probro vertat invictam necessitatem, si in eam te fata amentiam agant, si me egerint, a qua ne Minerva quidem se expediat? Sed de Caviceo vidisti aliud nihil in somniis?

*Octavia.* Penitus nihil; et pervigil facta, altiori dum teneris sopore, quæcunque ex amoris arcanis dicendo retexuisti, hactenus cum animo meo revolvebam.

*Tullia.* Hæc tela texitur Caviceo tuo, non matri quæ te erudiendam mihi dedit. Quo doctior e complexu meo in Cavicei transibis amplexus, eo gratiores ex tua Venere capiet fructus. Sed qui sint ii fructus omnes aves scire, et aveo

dicere ego, quorum post [pg 36] hanc noctem incredibilem senties suavitatem. Jam nosti in corpus tuum, qua rimas agit has duas, quas descripsi, inter femina tua tradendum illud pilum, quod te perfodiat ad septimam usque costam.

*Octavia.* Rides, Tullia. Qui fieri id possit? Per ludibrium narras.

*Tullia.* Quidquid id est, machæram illam suam, qua vir est, impinget in eam corporis tui partem, qua fœmina es. Sexus sexui commiscebitur, ut videri jam unus possitis in ea conjunctione, qui duo vere estis. Hoc quidem modo ea res tibi agetur omnis.

*Octavia.* Cupio, metuo scire; opto in amplexus Cavicei venire, metuo mihi cum venero.

*Tullia.* Principio, injectis brachiis, quasi vinculis, ita ut elabi non possis, nudus nudam arctissime constringet.

*Octavia.* Narra vero, soror, de Callia, ut jure suo tecum usus sit, cum data illi uxor es: nam de Caviceo nihil habes certi dicere.

*Tullia.* Satisfaciam desiderio tuo, et lapidea esses, si ex eo ludo quem lusit mecum Callias, cum virginitatem mihi excussit, quis etiam tibi lusus ludendus sit cum Caviceo minime perspiceres. Ac, nullo unquam tempore, tam gratæ noctis joci ex memoria mea excident.

*Octavia.* Stertunt etiamnum omnes domi; Sol, naturæ oculus, dierum pater, gravem videtur aperire oculum in terras; mortalium oculi silenti somno et molli natant in quiete; profundum ubique silentium. Tuta nobis omnia colloquentibus et colludentibus.

*Tullia.* Utique. Postquam me collocasset nudam [pg 37] in lecto mater, sudarium ad caput meum pulvino subjecit; osculum Calliæ tulit et mihi; Calliam jussit, ut, se coram, suavium mihi jacenti et multo rubore suffusæ daret; abiit, fores cubiculi occlusit, et clavem abstulit secum in cubiculum suum, in quo e nostris affinibus multi, et in eo numero Pomponia mea.

*Octavia.* Illam dicis quæ tibi, ut ætate proxima, ita familiaritate intima, sodalium tuarum tibi semper fuit carissima.

*Tullia.* Si venustatem, si lepores, si ingenium nosceris mulieris, amares Pomponiam æque ac amo. Paucos ante menses nupserat Lucretio juveni, animi dotibus corporisque donis præstanti. De re hac omni plane certiorem fecerat; docuerat quid primis in conflictibus ferendum mihi esset, quid me facere deceret, quid loqui. Demum fecerat, ut nequidem minutissima quæ ad Venerem pertineant nescirem: multis has nostras voluptates commendarat, quæ, per Junonem meam! alias omnes longo intervallo prægrediuntur. Igitur, parata instructaque, parem meum expectabam, non inferior animo si, inferior viribus, abiisset modo pudor.

*Octavia.* Sed cui rei id sudarium ad tuum cervical?

*Tullia.* Videbis.

*Octavia.* Nudam sane decubuisse te illa nocte cum Callia non miror, quæ sciam matrem meam, noctes omnes, nudam cum patre cubare.

*Tullia.* Ardorem illum tuum noscendi quæ te utique nosse multum interest, parumper sustine. [pg 38] Audies a me omnia, suo quæque ordine. Ut secessit mater, et me soli sibi vidit Callias in hac Veneris area commissam, vestimenta tanta abjecit festinatione, ut mihi, priusquam exutum vestibus crederem, nudus adstiterit ad interius spondæ latus. Lucebat cubiculum quasi medio die, cereis candelis hac illacque distributis. Vidi corpus egregium, candidum, succi plenum. Cum vero, pudorem similans, dejicerem oculos, vidi illi egregie etiam et magnifice pendere penem; identidem penis caput sustollebat, quasi mihi, honoris causa, minister voluptatis meæ assurgeret. Mox dejicit tegumenta quæ me in lecto involvebant; nam Junio mense ineunte nuptias fecimus; nudam prostituit oculis suis. Ego manu altera papillas, altera hortum meum ab eo tueri et ab luce eximere; ille manum alteram et alteram vi amovere, papillas attrectare, et sulcum expansa dextera occupare in quem mox aratrum erat immissurus. Interim omnem venustatum harum florem in unoquoque membro corporis intenta oculorum acie pererrabat; basiis oculos, os, genas, collum, papillas, ventrem crebris premebat. Dehinc medium induxit digitum meum in hortum, eo consilio (nam ipse postea non negavit in pleno complexu) ut de virginitate mea certior fieret, habiturus scilicet digito fidem, quam pilum, ut erat magnum et crassum, facere vere posse non putabat.

*Octavia.* Vide hominis malignitatem.

*Tullia.* Nec, quod ad hanc rem pertinet, differt homo ab homine. Curiosi sunt omnes æque ac unus: tu ipsa experta es a Caviceo. Condonanda est illis, [pg 39] qualis qualis est, hujuscemodi suspicio. Certe castæ puellæ mens multo gaudio cumulatur cum videt inveniri in se incorruptum florem, ac maritum id etiam ipsum mirifice delectat, cum invenit: nam, ut verum fatear, cara virgo, quæ sunt veræ virgines, ut tu es, ut ego eram, virginitatis certissimam habent semper in ea parte, in qua residet, probationem. Flos ille pudoris, quem Hymenem, quem Eugium vocavere Veteres, virginem monstrat in qua se ostendit: etenim a qua abfuerit puella, ita ut percipi non possit ab ea, etiam longe abest virgo; si hominem non est passa, illi tamen fuit libido sua, procul dubio, pro homine: virgo virginitatem eripuit sibi, vim a se passa est.

*Octavia.* Fecisti ut intelligam quomodo ipsa se virgo devirginet.

*Tullia.* Adjiciam alia bene multa; sed suo ordine. Quum tam parvo aditu id mihi ostium patere sensisset Callias, ut homini hac iter probe intelligeret nondum fuisse, projecit se in lectum, me complexus, aggressus est suavissimis verbis compellare, suavissimis jocis incendere ad Venerem.

*Octavia.* Obmutueras, stipes eras, saxum eras? quæ tam lepida, tam faceta, tam ingeniosa es.

*Tullia.* Æstuanti ex pectore ducta suspiria pro verbis erant; repellebam, revocabam; fugiebam, accedebam; pudor mihi restinguebat libidinem, et inflammabat:

... Irritaturque retenta,
Et crescit rabies...

[pg 40] Sensit Callias ignescere me vel invitam. «Agedum, Tullia mea,» inquit, «noli invidere felicitati meæ, quæ a te tota pendet, quæ in te tota est. Hortum tuum amœnissimum sine, domina mea, subeam: hoc, quod in te est, Veneris et Cupidinis domicilium, aperi ipsa tu mihi. En clavim.» Sic loquebatur subridens, et manum meam lævam peni admovebat; petebat apprehenderem, negabam: «Quid times?» aiebat, «si precibus meis obsequeris in gratiam meam, quæ tota mea es, et quod multo satius est, quæ vis esse?—Volo equidem tua esse,» repono, «sed is noli fœditatibus pollui, ut digna sim laudibus tuis. Quis hic amor tuus, si me amasti, ut contamines? odio similior hic est amor tuus, quam amori. Te capiat mei misericordia, tangant animum tuum hæ lacrymæ.»

*Octavia.* Lacrymas fundebas?

*Tullia.* Lacrymulæ cadebant quædam ex oculis:—«Etenim,» inquit, «Tullia, si me amas, cum pudore hoc tuo importuno per hanc noctem facias inducias. Nuda nudo audes amplius pudicitiam tuam commendare? Deinceps magis nunquam pudica eris, quam cum ostendes nulli prorsus per te pudicitiæ locum esse, in hoc geniali nostro thoro, quæ tuo officio, quæ voluptati meæ adversetur. Nam voluptas tibi mea pro officio omnino esse debet. Omnibus præterea sis nive frigidior velim, mihi passere salacior. Igitur, quod a te peto pro jure meo, id volo ultro citroque facias.» Interim mirabilem in modum salax illi cauda creverat, et inquieta femur meum alterum verberabat.

[pg 41] *Octavia.* Heu, metuo tibi, contremisco ad tua vulnera.

*Tullia.* Ad ineptias abis, nugax; audi rem seriam serio, ut debes, si sapis.

*Octavia.* Ah! ah! ah!

*Tullia.* Nec plura: inserto intra femora mea femore, primum quasi cuneo injecto, sic viam toti corpori intra femina mea fecit. Ascendit in me, et pectus pectore compressit; tunc quid negem? me vehementi metu perculit novum hoc et inusitatum pondus. Ille manu altera temperans Priapi amentiam, foribus meis balistam applicuit, virginea inter cadurda Priapi caput indidit, et mox facto impetu, quasi ex alto irruens, impulit se in me magno nisu. Attamen profecit nihil, quod compactior esset munimenti agger, validissimum vallum. Prima secundave concussione, ne unguem quidem latum in castra se penetravit; ad tertiam vero quartamve, exhalato spiritu sensi Priapum defecisse, et esse resolutum. Priapi spiritus utique est semen illud, et proli et voluptati sacrum. Id reducta quasi

cataracta in meum ostium pleno ore evomuit. Hæc velut velitatio quædam fuit, non justa pugna; nihilominus sensi etiam tum ad vehementes illas concussiones acrem in illa parte dolorem, ob difficultatem aditus, pilo fortiter adducto.

*Octavia.* Continuisti vocem ne erumperet in clamores?

*Tullia.* Sustuli quidem clamorem, eumque satis altum.

*Octavia.* Sed cum citius absolutum fuerit opus, [pg 42] quam bene institutum sentires, num clamasti ex composito?

*Tullia.* Repressi continuo vocem, continuoque desiliens Callias, alacer et ridens, secundum corpus meum projecit corpus. Sed uno femore superimposito femori meo, caudam salacem ita statuit, ut ad umbilicum fere meum pertingeret, et identidem guttatim stillans totum id spatium complueret. Tunc sudarium (nam ita jusserat mater) cepi, quod sub pulvino meo miserat; et primum Calliæ mentulam detersi, dehinc hortum meum, et uterum totum quem irrigarat; ac cum detergerem Calliam, osculabatur me, ardentissime furebat, novas iras intentabat. Sed ex eo liquore, quem infuderat intra latera virginalis mei, magna pars defluxerat in lintea, notisque infecerat, quas non eluerem. Ex eo tam abundanti profluvio multa facetiarum postera luce argumenta cepit, sicut ex cruore virgineo, cujus venæ per lintea tota ductæ.

*Octavia.* Sed dixisti tunc non alte tibi infixum fuisse Calliæ mucronem?

*Tullia.* Velis tibi altius infigi? et mihi quidem post infixus est, et ex eo vulnere vis sanguinis. Hanc enim post velitationem paululum requievit Callias. «Moriar, mea Tullia,» dicebat, «ni te plus oculis amem, plus vita; nihil unquam pulchrius videri potest inter mortales. Dea es, an fœmina? Quam tibi turgent ubera mediocri tumore, quam dura, quam a se apto intervallo dissita!» Ea vero manu tractabat, dein osculis impetebat papillas, ore apprehendebat, leniter mordicabat, labiis sugebat. Id me [pg 43] sane, ultra quam putassem, permovebat ad libidinem, æstu inflammabat, qui me totam urebat. Tunc et manum inter femina mea demittebat, digitis ludebat in lanugine pubis; mox labia cunni comprimebat, digitis dehinc diducebat, digitos intro unum post alium inserebat, totum in me Veneris œstrum ingerebat.—«Averte,» dicebam, «hanc tuam incendiariam manum, secede, quid me vexas?» Ille exsultare, quod faterer me incendi. Lævam manum meam arripit:—«Veneream hanc tibi facem incendo,» inquit, «quæ incendium illud quod excitat, restinguat.» Jubet eam facem capiam; jam audacior facta, quia cupidior, capio. Vix eam manu complecti poteram. Horrui duram, rigidam, ardentem. «Hoc,» inquit, «sum diffusurus cuneo hoc ostium tuum tam compactum et angustum. Macte animo, mea Nympha, in eam spem te potiundam mater tradidit mihi: si, cum revertetur ad nos, te reciperet a me tam integram quam dedit, generum ignaviæ incusaret, generum me negaret sibi, qui tibi maritus non fuissem.—Pati non potero,» repono; «occides me si tam grave pilum intra corpus meum velis totum condere.—Tu te ipsa,» inquit, «dux esto ad

prælium, ipsa tu torque tuis manibus id pili quicquid est in scopum illecebrosum, quem ipsi Amor posuit et Venus.» Rogat ne elabi sinam e manu mea: obsequor. Conscendit iterum; ego ostio meo applico quod subingrediatur auspiciis meis; e femoribus meis alterum intra quæ se conjecerat, in altum tollit, manu supposita altera; pilum ostio admoveo; pulsare [pg 44] ille magno nisu cœpit. Conquassationes forti animo, etiam vehementissimas aliquot, fero. Pilum primoribus digitis tribus, ne a recta via exerret quæ in hortum ducit, contineo firmum et stabile. Mox nervosius furere cœpit Callias, tantoque impetu contorsit in me pilum, ut per vim penetraverit se in uterum meum duos digitos latos.

*Octavia.* Abfuit omnis doloris sensus?

*Tullia.* Sensi difficillimum toleratu. «Me necas, Callia,» aio, vociferor miserabili voce; jam non clamor, sed ejulatio fuit. Nec præterea movebatur. Ego telum traho; subirasci ille, et increpare turpem et insolentem, ut loquebatur, licentiam. Demum restituere pilum cogor in eum locum a quo diverteram. Sed illico lacteum imbrem, dulce lenimentum vulneri quod intulerat, defluere ex eo tubo sensi in hortum meum. Resoluta est, et elanguit pars illa effræna et impotens. Datæ mihi breves induciæ.

*Octavia.* Imber ille in intimum hortum tuum defluxit?

*Tullia.* Haudquaquam, dulcis virgo, ne guttula quidem. Extima ora hoc solum rore inspersa est. Ubi exscendit Callias, petit ut se abstergam; mox conqueritur de me:—«Si me amares, Tullia,» dicebat, «non negares, ut facis, misero, qui amore tuo ardeo, veros amoris tui fructus.—Amo te,» respondeo, «et perdito amore; sed miseram quæ me vis facere in hac laniena?—Nescis,» subjicit, «istam corporis partem non jam esse tuam, sed pleno et indubitato jure meam? quid me prohibes rebus meis libere frui? An decet bonis instructam [pg 45] litteris, ut tu es, mea conjux, meæ deliciæ, sui muneris adeo esse negligentem? Nam tui muneris est mecum non contendere de his Veneris muneribus.—Ah! Callia,» replico; «etenim, si nosces quam molestus ille sit dolor quem infligis mihi, te misereret Tulliæ, si Tulliam amas.—Decorus et honestus tibi est hic dolor,» subjicit; «quo acrior tibi videtur, eo honestior videberis; sed diuturnum non erit quod dolet, id vero solum erit diuturnum quod te in posterum quam maxime delectet. Demum vitio tibi vertetur, quod tantam copiam prolifici seminis intra sulcum non exceperis, quo scilicet pater fieri potui. Crimen id est, crede mihi, quo scelestius nullum: ipsa necas liberos tuos et meos antequam nati sint, animam adimis quam non habent. Scelerata est et flagitiosa impatientia tua.» Ad hæc ego:—«Tecum, dulcissime conjux, nolim de hac re movere controversiam; me ream fateor: ignosce, obsequentiorem habebis, feram omnem ærumnam immoto animo et corpore, ut tibi gratificer.—Nam, quæ tua illa est protervia, pupula mea,» inquit, «ut quæ omnes in omni conditione, etiam te multo juniores quæ nuptum eunt, quotidie patiuntur, effugere posse arbitreris? Liberam te nihil præstare potest

ab hoc stipendio. Docta es litteris Græcis Latinisque, et te habes ac si esses e stolidarum et ineptarum numero.» Tunc ego ridens:—«Dea pertunda, opem fer! quidquid jusseris me esse, ut libidini tuæ anciller, constanter ero; sed video quidem me mox pertusam fore, si Pertunda [pg 46] aderit.» Risit vehementer Callias, ita ut risum e proximo cubiculo audiret mea Pomponia; et sedato risu:—«Nunc,» ait, «para te ad proximum hunc conatum; insanire in te incipit mentula mea mihi. Cum me effudero in amatum istud pectus, brachiis amplectere me, nulla res complexum tuum solvat; fac omnino quod jubeo, si me vis maritum: quod rogo, quod peto, si amantem. Quinetiam tolle quam altissime poteris crura, ita ut lepidissimi pedes admotis calcibus politissimas tibi nates exosculentur.» Promitto me facturam.

*Octavia.* Et stetisti promissis?

*Tullia.* «Macte animo,» inquit, «oppeterem ipse pro te lethum, et impatientia tua amori meo pugnat? Hoc in conflictu amorem mihi tuum testari, et maxime potes, et omnino debes.—Venerem mihi malim habere iratam, quam te,» inquam. Interclusit mihi os osculis, et rursus alacriter conscendit. Tollo quam altissime femora, amplexor quam arctissime; tunc ad portam lanuvii admovit facem, interius diducit digitis vulvæ labia, mittit intro caput, mox totis viribus incumbit in me, et in semihulcam meam corporis partem hastam impulit. Ad primos concussus infixus est mucro: sensi enim multo altius ingressum quam antea fuerat. Discerpi me credidi, in longam ejulationem erupi, et eruperunt ex oculis meis uberes lacrymæ. Paulisper restitit Callias, et:—«Hanc tibi moram concedo, Tullia mea,» inquit; «ecce medium fere itineris confeci spatium: vide tu ipsa.» Manum meam illuc adduxit; periculum ipsa facerem, [pg 47] an mentiretur, monet: quod superexstabat nullo fere labore trudi posse, si faveam. Superexstabat media admodum veretri pars, sed ea crassior. Tunc vibrat linguam in os meum, et eodem temporis puncto pilum adigit in perniciem meam. Ejulo, vociferor, manant ex oculis lacrymarum rivi:—«Hei mihi!» dicebam, «me necas, tempera parumper tibi ab hoc impetu tam sævo, tam fero.» Nec tamen amplexus solvebam, nec projeci femora. Aditum ingredienti hoc corporis mei situ expediebam. Ultimo tandem conatu perfecit, ut totus intra vallum meum subiret hostis, sed concussu qualem sustinueram nullum. Contremuit ad hunc impetum lectus, ita ut disjectum crederent in contiguo cubiculo. Clamorem tunc sustuli, qualem tolleret qui intra viscera hastæ summum mucronem excepisset.—«Mea es,» inquit, «e castissima virgine castissima mulier. Cæterum nihil quod timeas amplius habes, aperta est tibi et mihi via, qua eamus ambo ad voluptatem.» His dictis subagitare cœpit, nec amplius dolebat, quod quidem me provocaret ad querelas. Momento sensit libidinis æstrum adventare: «Tullia,» inquit, «mox horto tuo intimo Veneream aquam irroro, osculum figo cum primum defluet.» Vix dixerat, osculum dedit; ex imis me sensi præcordiis irrigari calido et copioso sanguine; sed si levem tit-

illationem exceperis, nihil omnino in ea re fuit quo delectarer. Ille basiis crebris, subagitationibus, murmure suo testabatur mirifica se perfusum voluptate, quam in eo loco nactus erat, quo penetraverat caudam suam salacem. Opere [pg 48] perfecto, non tamen desiliit de equo: «Compensabo nunc jacturis meis,» inquit, «hoc lucrum, Tullia mea dulcissima; quandoquidem arcem pudicitiæ tuæ obtineo, faciam quod victores solent.» Ego ad eum:—«Quid solent victores? amabo, mi Callia, qui me victam habes in potestate; mancipium si volueris ad obsequium, liberam si volueris ad honorem.—Arcem cui eripiendæ tot labores insumpsi, tantum sanguinis effudi, tam cito ac putabas non deseram tibi vacuam: volo scias me vicisse, et agnoscat imperium victricis mentulæ diffractus et laniatus tibi cunnus.—Sane,» aio, «laniatus non dubito quin sit, et misere laceratus, e cujus ore tam parvo fecisti antrum tam amplum; me miseram! jam me sentio porta patentiorem.—Etenim, quo minus pateres,» inquit, «ego eo magis paterer.» His dictis sensi intra viscera mea succrescere mentulam Calliæ, quæ tabe projecta flaccida et elanguida paulo ante pars minima sui esse videbatur. Jubet bono sim animo, ut bene valeam quærit; nihil mihi quod præterea doleat superesse respondeo. Gaudio se ob id multo capi ait, et impingit suavium.—«Sed tu, ut voluptatis meæ particeps fuisti?—Nullius particeps fui,» refero; «quis potuit inesse in hoc sævo conatu tuo, quis voluptatis gustus esse potuit?—Mutabis modo sermonem, Tullia, et fateberis Venere nihil esse inter mortales dulcius,» subjicit; «sed et hunc etiam mihi laborem concede: ut agito ego nates deorsum, tolle sursum, et agita quam vehementissime poteris; [pg 49] poteris autem, si quæ alia, juvenis, vegeto corpore, viridi et robusto.» Nego motus, qui mihi sit tam insolens, nosse rationem; ille jubet, propellam sursum versus hunc corporis truncum: propello; jubet rem repeti violento impetu: obsequor. Quid plura? mobiliores mihi nates effecit quam ipse haberet. Ut me videt satis doctam, rogat ut ne meis lateribus parcam; concutit vehementer: resilio vehementius ego; subsultibus conquatio subigentem. Totis me viribus urgebat: ita totis ego viribus recutiebam in me ruentem. Subabam ego, cevebat ille; et crissantibus inguinibus mixti videbamur minari cubiculo ruinam: contremebat certe lectus cum tanto strepitu, ut is longe lateque exaudiretur dissipatus strepitus. «Anima, Venus mea,» dicebat, «quam me felicem facis! quis me mortalium beatior? En, en, anima mea, colliquesco; advenit summa voluptas.—Sentio,» inquam, «hei mihi! quid hoc est quod sentio, mi Callia?»

*Octavia.* Me enecas hoc sermone, in exspectatione tantæ voluptatis ecce emorior.

*Tullia.* Compressit me arctius Callias; promovit in uterum meum ea vi caudam ardentem, ut etiam videretur velle se totum in corpus meum immergere: defluxit tunc in me deliciosus imber, et simul sentio etiam me liquescere, sed tanta et tam incredibili cum voluptate, ut nulla amplius in hoc Veneris furore

habita honestatis ratione, urgerem ipsa Calliam, subsultibus crebris fatigarem, rogarem ut properaret; ita defecimus, resolutis quasi artubus, ambo eodem temporis puncto. Et puto, si Venus [pg 50] ipsa confligentibus agonotheta adstitisset, cui lauream concederet fuisse dubitaturam. Animam, quam in hoc cursu reciprocando pene ademerat longa pugnæ contentio, vix receperamus, cum audivimus, clavi ad seram admota, portam patefieri, et simul mater et Pomponia lætæ se in cubiculum proripiunt; seram post se claudunt, ne quis ingrederetur una, pessulo obdito.

*Octavia.* Non quali obdiderat fores tuas Callias, hem! hem! hem! Et mater et Pomponia de eo sibi habendo nunquid altera in alteram collitigassent? hem! hem! hem!

*Tullia.* Salsam te, quæ intra paucas horas pessulo obdi fores tuas senties bilibri!

*Octavia.*

Est hic, est animus pili contemptor, et illum
Qui cunno bene credat emi quo tendit amorem.

Sic immutasti ipsa Virgiliana hæc duo carmina. Emam, equidem, meo puro puto amorem Cavicei, et hujusmodi oblectamenta. Persequere filum narrationis tuæ.

*Tullia.* Tegumentis, quæ ad pedes dejecerat a principio Callias, ocius obductis, diligenter corpus operui Calliæ, meumque, ne hoc visu oculi matris offenderentur: nam de Pomponia minor cura, cui tam sum nota quam tu mihi. Mater accurrit in complexum Calliæ: «Mi fili, ut probe militasti? Victorem te, vociferationes Tulliæ meæ testificatæ sunt; de tua victoria tibi gratulor et Tulliæ. Si [pg 51] non vicisses, nupta vidua esset.» Pomponia vero injectis ulnis amplexabatur me, et lacrymis irrorabat ora:—«Quam te dire habuit hic lanio!» inquiebat summissa voce. «Cum te audirem, soror, ejulantem, maledictis insectata sum inconsultam nebulonis libidinem. Ut se vero res habent?—Optime,» inquam; «difficillima tandem via ad delectationem veni, quam quærebam. Per lethi medios cruciatus ad vitæ perveni plena et summa gaudia.—Mulier facta es?» subjicit. Ego vero:—«Facta sum, et cum gaudia reputo mecum, quæ jam semel cepi ab virginitate cæsa, miror tam nullo pretio tot bona vænire. Diem malim deinceps absque solis luce, quam noctem absque Veneris usu.—Bene est, abunde est,» inquit, «et sane his quæ non fruitur puella Veneris donis, vivam puto vita non frui.» Et continuo ad Calliam accurrit, eique suavium dedit, Imperatorem suum vocans, cujus sub signis Venus tam citum de virgine tam pura et tam inimica triumphum egerit, hostibus cæsis Eugio, Nymphis, Hymene. Scis Pomponiam litterarum studiis esse imbutam. Mater aromatites vinum in argenteo scypho bene grandi Calliæ dedit bibere.—«Hoc,» inquit, «recreabit pectus tuum, et re-

ficiet vires, fili; sed si me credis, dabis te quieti. Satis gloriæ hac nocte partum habes, qui virginitatem Tulliæ occisione delevisti.» Me autem conditas nuces tres quas attulit edere jussit, et ad aurem insusurravit obtinerem a marito, ut per horas aliquot requiesceret; opus illius valetudini esse somnum, et ab hac palæstra quietem. [pg 52] Post utraque abiit; Pomponia precata est, cum valediceret Calliæ, novos animos, novam alacritatem, mihi patientiam laboris et invictum robur. Interea, dum mater et Pomponia loquebantur, materque componebat lintea et tegumenta, Callias subtus, protensa adversum me manu, mammas, ventrem, totumque, in quo pugnaverat tam fortiter, Veneris campum pererrabat. Itaque restitutis momento temporis viribus, cum Pomponiam recedentem revocasset:—«Volo testis sis, ipsa tu soror,» inquit, «quam dire habeam dominam meam, sororem tuam, ego nebulo,» et ea inspectante adsilit in me, telumque suum immane in uteri mei ulcus impressit. Recruduerunt ad vivum vulnera quæ fecerat, et acutissimo dolore puncta infremui:—«Ah! Pomponia mea, opi sis!» clamo, «advola!» Ille vero horribilibus concussionibus agitare me et lectum quatere. Ad hæc Pomponia materve cachinnantes proripuerunt se foras festinæ. Post aliquot succussus, eosque vehementes, evanuit dolor omnis acerrimaque successit titillatio, qualem non cogitaram. Nates motito, superequitantem Calliam imitata. Ad eum motum quem ciebam jam ultro, suavio dato gratias mihi egit, quod rem facerem sibi gratissimam. Hic cursus paulo longior fuit quam alii fuerant. Demum me semine prolui in intimo utero sensi, et simul excerni ex me nescio quid, quo dulcissima velut prurigine titillarer. Ad hoc gaudium nihil accedere posse nuntiarunt omnes mihi mei sensus, quo majus et jucundius fieret. Re patrata eduxit e concha mea fascinum jam capite summisso [pg 53] inglorium. Volui sudario detergere:—«Nihil opus est,» inquit Callias, «æque mihi sicca et pura est mentula, ac si in hac voluptatis palude non natasset.» Protinus attrectavit manu cymbam; digitum imo medium immisit intro; siccam invenit vulvam, non temulentam. «Faveant Superi!» inquit Callias, «ex hoc congressu, procul dubio, anima mea, utero concepisti. Meum tuumque semen matrix illa tua quæ mihi liberos debet, omne imbibit. Fatere, cor meum, num, quam cepisti, prætergressa tibi visa est voluptas omnem voluptatem, qua unquam sis per vitam tuam perfusa?—Fateor,» inquam; «sed quod præcipue tam incredibilis mihi oblectamenti titillationem intulit, cogitatio fuit, quæ me etiam sola plurimum delectare possit, abs te illam mihi venire, e tuo corpore in corpus meum illas fluere delicias.» Osculatus est, et:—«Quiesce,» inquit, «paululum, mea Tullia, donec excitem te ad nova prælia, et novis gaudiis impleam tibi tuam navim.» Fatigatos invasit amicus sopor, tresque continuas per horas tenuit et juvit. Solutus Callias impegit mihi basia multa, nec ideo excitavit dormientem: ita me altus oppresserat sopor. Revolvit rursus operimenta ad pedes; vidit resupinam, et distractis cruribus ostentantem circum in quo jam quinquies decurrerat fervidis rotis. Miratur venustatem corporis, cerei

enim nondum defecerant; et ridens tuetur cymbæ compagem solutam. Tunc, incensus hoc spectaculo, irruit in me; mentulam intumescentem protrudit in sinum pudoris mei, et [pg 54] excitata aperui oculos.—«Bene est,» inquit, «vivis, uxor; timebam ne rem haberem cum mortua, quod de Periandro narrant Corinthiorum tyranno.—Senties me vivere,» repono.—«Fac sentiam, nihil unquam feceris gratius,» inquit osculans.

*Octavia.* Quid fecisti ut te vivere sentiret? Sane conjectura assequor quid feceris.

*Tullia.* Quid illud est tua vero sententia?

*Octavia.* Tuo agitata es motu, quam potuisti vehementissimo?

*Tullia.* Dicis. Vibratis in aera natibus, continuo meo motu tam apte Calliæ motui respondi, ut cum deorsum impelleret in meas fores pessulum, ego sursum propellerem. Ita pubes pubi, pecten pectini pugnabat ea contentione, ut si seminis ad summum capitis verticem fontem habuisset Callias, ex eo potuissem nihilominus excire.

*Octavia.* Longa fuit hæc concertatio?

*Tullia.* Si tempore metiris, dodrantem; si deliciis, duo sæcula.

*Octavia.* Contingant mihi sæpe hæc voluptatis sæcula!

*Tullia.* Quibus scilicet æternitatem suam omnia accepto ferunt sæcula animantum. Intemperanti fessa agitatione, laborem diutius ferre non potui: «Victam me fateor,» inquam, «sine paulisper spiritus colligam.—Dedis te, arma ponis, Tullia?» subjicit; «o te ignavam! Agedum, revoca animum.—Pacem peto,» repono, «aut breves inducias. Plus viribus et artubus vales, non quidem [pg 55] animo, ne putes.» Cum dicerem, ipse superincumbens

Intorquet summis innixus viribus hastam.

Implet fœcundo rore uterum, distillat etiam mihi album virus. Voluptatem magnitudini impares ambo, alter in alterius amplexu sumus resoluti.

*Octavia.* Nihil amplius tibi pars ea, belli intestini sedes, indoluit? Quæro curiosius: nam, ut spe Veneris uror, sic doloris metu ægra sum. Pendeo

Spemque metumque inter...

*Tullia.* Apage, inepta, nihil ærumnæ præ gaudiis.

*Octavia.* Credam jam tibi, puto, et mihi ardentissime cunnus prurit.

*Tullia.* Scalpere interim potes. Scalpam ego, quid vetat?

*Octavia.* Narrationibus tuis incendisti me totam. Ah! ah! quid agis? Me in furorem rapis; abstrahe adulterum digitum, amabo, soror. Quid tibi præterea a Callia usque ad lucem?

*Tullia.* Tandem stupidissimo somno correptus est per duas continuas horas; haudquaquam ego obdormiscere, cum maxime vellem, potui. Ardebant etiam nunc cerei, venit in mentem aperiendæ, quæ in hortum respiciebat, fenestræ. Surrexi nuda, aperui, nec Callias suscitatus est a somno. Restinxi cereos, et cum me mittendæ urinæ desiderium premeret, captam in manibus matulam subjicio rimæ meæ. Dilabens lotium ussit me acri dolore, ut vix [pg 56] ferre possem. Cum misissem suspirium, somnum Calliæ abstulit gementis vox: vidit, nec movit, defixit in me oculorum aciem, nec somno esse solutum percepi.

*Octavia.* Rem mirabilem refers; ægre tibi lotium missum est?

*Tullia.* Ita me diviserat Callias, ut fissa latum ad minus digitum rima interiori, qua ad summum bonum itur, protritis discerptisque floris mei foliis, calyculoque disrupto in quo mea latebat virginitas, crudeles intus lacerationes superessent. Itaque acerba erat hæc ærumna, quam urina laceræ vulvæ inurebat, ac si tu vulneri, quod tibi ferro forte inflixeris, sal aceto dilutum infundas. Effluebat ex intervallo, non continuo fluxu fugiebat urina. Cum modo sustinerem deciduæ impetum, modo laxarem, inopinam his verbis aggressus est Callias: «Etiamnum dolet, mea Tullia?» Ego matulam subito deposui pudore offusa.—«Putabam te dormire,» aio, «cor meum; ignosce imprudentiæ meæ et impudentiæ; pudet re turpi offendisse oculos tuos. Quid! me vidisti hac cum matula colloquentem?—Vocas rem turpem,» inquit, «quæ cum necessaria sit, turpis esse non potest.» Denique me in lectum misi, postquam sudario exsiccassem pudenda suspensa manu. Intra ulnas totam, intraque femora sua suscepit Callias. Mox oscula ori impressit, nates altera, alteraque manu leniter verberabat. Rogavit ego hortarer ipsa, admota manu, mentulam ad novam pugnam; illud sibi præstarem officium: nec negavi. Intumuit illico intra manum meam, et ridens [pg 57] Callias accensam mentulam rigidamque in umbilicum meum iterum atque iterum torsit: «Quid tu,» inquam, «vis etiam, qui tam sævus es, per medium ventrem adacta hasta viam tibi aperire ad libidinem? Vis tam sim pertusa quam Danaidum urcei?» Risit ad dictum Callias, et supposita manu femur meum sinistrum semisupinæ, ut eram, in latus suum dextrum sustulit. «Nunc te volo inire nova figura,» inquit, «semisupinam, et in latus recumbentem.» Mentulam ad ostium applicuit horti mei, et impetu infixit. Cum tota non subiret: «Rudis es,» ait, «ad hæc opera, Tullia mea; patere te doceri.» Respondeo a nullo potuisse melius hanc me artem edoceri, pergeret, me docilem habituram discipulam. Jubet pubem pubi conjungerem, mihi cunnus oscularetur proximum mentulæ caput, sic aditum fore facilem ad intima, modo altissime femur, quod ejus lateri superjeceram, tollerem. Obsequuta sum, et uno concussu immersit totam in vulvam meam, et usque coleos, mentulam.

*Octavia.* Nec demum dolebat?

*Tullia.* Confricatio frequens sensum omnem doloris obtudit. Voluit scrotum sibi molliter tenerem; adhibuit testibus meam manum molliter, et primoribus digitis utrumque compressi, et illico vivida vis seminis exsiliit in sentinam navis meæ, mihique per libidinem effluvium movit; utrique capta de utroque voluptas summa. Jam ad multam lucem, in his lusibus, processeramus, et promiserat mater visuram nos summo mane; dum serimus varios [pg 58] sermones, dum miscemus oscula, dum inguina fovemus inguinibus, vox pervenit ad nos accedentis. «Veniat quantumlibet!» inquit Callias, «non faciet tamen quin amplexibus tuis exsaturem libidinem meam. Est constitutum mihi, voluptas mea, veredum hunc tuum» (cunnum ostendebat) «septem decursionibus subigere. Sex peregi: superest septima, quæ me ad satietatem ferat.» Ut sensit matrem foribus proximam, conscendit rursus, et cum insereret seræ clavim: «Et ego,» inquit, «hanc meam clavim mitto in seram tuam.» Subagitare cœpit et mobiles mihi nates optare. Interea ingressa mater, contremere miratur lectum; ego verbis perstrepere, et suspiriis præ pudore.—«Quid est quod video, nata?» inquit, «nox tibi tota non suffecit, nec tibi, Callia, ad fruendam Tulliam?—Ignosce, mater,» respondeo, «malim mortem, quam me visam a te in tanta turpitudine.—Felicitati Tulliæ meæ allaboro in ipsa Tullia,» subjicit Callias. Immanius concutiebat; tunc mater:—«Obsequere marito tuo, nata, nec te utique obsequii pudeat, quod officii pars est maxima nuptæ; abeo mox reversura: interim alacres explete alter alterius cupiditatem.» Egressa matre, Callias jubet subsultus objicere concussibus suis rapidos et frequentes. Jactitare nates cœpi, sursumque deorsumque ferri, ut facturus impetu impressionem abscedebat, ut faciens irruebat. Laudabat animos, mirabatur mobilitatem: «At ego volo,» inquam, «laudes in te meum amorem, qui me his commotionibus, quas imperas, dehonestat. Laudes obsequium [pg 59] etiam ad turpia. At vero; ecce, mi Callia! mihi ecce defluunt libidine venæ omnes; urge opus!» Ille ardentius operam mihi navare:

Itque reditque viam toties...

Sed, ut si esset exhaustus in eo humoris fons, ex ejus nihil manabat tubo. Osculans et vellicans excitabat, ut properanti adessem, et cursu, quam possem velocissimo, deferrem ad optatam Venerem. Ego subsilio, crebrisve subsultibus cieo Cupidineum imbrem in impluvium meum, et longo post me intervallo pervenit ad metas. Postquam in amplexu meo artus fessos recreavit, exsurrexit e lecto, servisque vocatis induit vestes, et basio dato veniam petiit ignaviæ suæ. Sic loquebatur: «Condones mihi,» inquit, «enervatam hanc mollitiem, qui tam pauca itinera percurri in tam pulchro stadio.» Hæc cum diceret, reversa est mater, meaque cum matre Sole gratior apparuit Pomponia oculis meis, altera oculorum meorum lux. Jusculi infusis plurimis ovorum vitellis scutellam, illa et illa adfere-

bant. Mater Calliæ, Pomponia mihi obtulit; ego hausi hilare. Negabat Callias se egere; exsorbuit tamen. Postea mater jussit requiescerem: «Nam scio,» inquit, «te tantum itineris hac nocte confecisse, ut periculum sit ne in morbum incidas, corpus tuum delicatum ni diligenter cures.—Septem omnino milliaria percurrimus,» adjicit Callias; «fessam esse plurimum verisimile est, quæ me toto itinere vexit summa celeritate.—De his postea loquemur,» refert Pomponia; «tu interim quiete [pg 60] et somno refice fatigata membra nocturno labore.»

*Octavia.* Video, soror, in ea narratione, picturam omnium quæ jam virginali meo, puto, imminent. Sed si bene præsagit animus, quam tu tulisti, feram molestiora: majores etiam, quam cepisti, capiam voluptates. Nam inferius illud gurgustiolum minori mihi, quam patebat tibi, hiatu patet: eo mihi molestior vis inferenda; at protensiori tres digitos mentula, quam Calliæ sit, rem aget Caviceus: et eo mihi dulciores Veneris fructus, quanto altius in penetralia Veneris Venerem inferet.

*Tullia.* Nihil ultra tibi optare debeam ad perfectam felicitatem, soror mea, quam ut faveat tibi Venus æque ac mihi. Nunc e lecto surgamus, dulcis virgo; cras surges tam pulchra fœmina, quam es hodie pulchra virgo: te puto ad eam pugnam, quæ tibi depugnanda est, satis comparatam.

*Octavia.* Sum; ita me Venus amet! Imo volo constantiam commendari meam: sine fletu, sine clamore, deliberato animo omnia feram.

*Tullia.* Cave istud feceris, corculum: graviter ipse ferret Caviceus si tam constanter ferres; silentium tibi tuum probro verteretur; marito non solet parva fieri laudis accessio, dum virgo vim patitur, ex clamoribus, ex fletibus oppressæ. Dicunt esse eos ejulatus virginitatis, dum conciditur, pereuntis vocem. Quæ ex eo consequantur opiniones, tecum ipsa vide.

*Octavia.* Recte mones.

[pg 61]

# COLLOQUIUM QUINTUM

## LIBIDINES

—

Tullia. Nulla mihi dies gratior unquam fuit, quam hæc nox erit.

*Octavia.* Libero sermone confabulabimur. Complectar te, cognata, in cujus quondam amplexibus omnes mei solent sensus et cogitationes gratissime conquiescere.

*Tullia.* At vero, in tuis, puto, complexibus non ita quievit Caviceus. Sed enim in eo, quem innumeris tuis illecebris excitasti, rapido motu, utrique quies et voluptatis cumulus summus.

*Octavia.* Quæ præsagieras gaudia, inveni; ad eam delectationem nullo opere perveni, quæ omnium utique superat rerum pretium, quæ mortales inserit immortalibus.

*Tullia.* Nihil vero, occlusis cubiculi nostri foribus, [pg 62] quominus jucundo, quem aures jam dudum expetunt, cibo pascar, impedit.

*Octavia.* Intelligo, cognata: vis quam pollicita sum, me narrationem aggredi.

*Tullia.* Scilicet, quid dulcius mihi queat accidere, quam participem fieri voluptatum, quibus ingurgitata es? Nam sermone hoc tuo partem infundes in animum meum, quæ nihil e cumulo tuo detrahat.

*Octavia.* Vellem etiam ita et in corpus tuum fundi per me posse Cupidineos illos fluctus, qui cymbam meam ad veri boni portum per hos quindecim dies detulere; et ex animo loquor.

*Tullia.* Quam altum, quam crassum infixit in navim tuam malum ad eam navigationem Caviceus! Quam impar tibi visa est navis tam parva arbori tam immensæ!

*Octavia.* Rides sane: convenit belle mihi cum Caviceo. Quod perfregit mihi vallum, victori ademit victoriam: ecce exhaustis fugit viribus. Cum jam languidiorem vidit parens mea, id dedit consilii ut ad patruum iret; prætexit itineri officium, sed, verum ut fatear, cognata, jam fractæ vires vera causa fuere, nec me latet. Hæc, quæ mensis unius erit, reparabit virium robur, absentia: prudens profecto consilium.

*Tullia.* Quid hoc est? tam tenera, tam delicata, ad primos non periisti Cavicei concussus? Quid audio? Quæ tam cito talem peregeris, jam facta es athleta. O victricem et laureatam concham!

*Octavia.* Abi, improba manus, quæ procaci tactu adulteras novam nuptam.

[pg 63] *Tullia.* Patere, inepta. Quid times hoc in meo lecto, quem libidine et incendio imples? Ea cereos illos qui lucent extingui nolui mente, ut omnem pulchritudinis tuæ florem delibem oculis.

*Octavia.* Sed nunquid amoris nuptialis legi cedere lex debet amicitiæ? Si patior ultro quæ olim a te pathica sum pati solita, nunquid Caviceo fecero injuriam?

*Tullia.* Ah! ah! ah! quid amplius objeceris mihi?

*Octavia.* Quid hi sibi cachinni?

*Tullia.* Novum antrum hausit rimulam illam tuam, in qua sedebat virginitas. Quam immane patet! Quid objicies deinceps mihi?

*Octavia.* Nihil habeo, mea Tullia, quod objecisse tibi, aut velim, aut debeam.

*Tullia.* Aperi femina.

*Octavia.* Obsequor.

*Tullia.* Quam differt hæc mulieris pars a virginis parte! Ecce divisa cadurda: o hiatum! manum etiam inducere possim.

*Octavia.* Eh! eh! eh! moves me nimis ad libidinem, remitti me sentio, ni cesses. Vis in manu tua fiam adultera, quæ mori malim, quam in vetito hominis amplexu pollui?

*Tullia.* Postea videbimus. Sed nunc agam quod ago. Quis hominum complere possit hanc fossam, unum præter Caviceum? Longe laxior es non solum quam ego, sed imo quam mulieri conveniens sit, ut homini conveniat non portentoso. Sum ego stricta præ te, quæ tandiu homines passa sum, quæ tot sum effusa sub congressibus, e cujus cymba partus [pg 64] invectus est in vitæ portum. Timeo, cognata, ne quæ hunc in modum discissa es, omnibus præterea ho-

minibus inutilis facta sis ad Venerem. Quod pumilio una in navi regia, si naviget solus, id in te fuerit alterius hominis mentula.

*Octavia.* Nihil mea interest, me modo suis semper voluptatibus habeat commodam Caviceus, et, ut nudiustertius loquebaris, ejus probe machæra conveniat in vaginam meam. Hoc sibi usuique suo perfodit stadium, non aliis. Quod mirere, cum me ultimum compressit, tam arcte intro aiebat sibi vinciri mentulam, ac si manibus premerem, et ita hoc compressu exsugi, ut præ voluptate se diceret emori.

*Tullia.* Tu vero quid?

*Octavia.* Ego spissis basiis animos dabam, et molli crispantium clunium motitatione opi eram ad metam eunti.

*Tullia.* Sed quam cupio, instituis a calce narrationem: hanc volo a capite ordiaris. Scio te hos per dies probe dolatam, si ex felicissimis alia fuit unquam. Sed nunc omnia minutissima vel momenta, ab hora qua nupsisti ad hanc usque diem, curioso refer sermone, pupula mea.

*Octavia.* Faciam tibi satis: pruriginosa descriptione per aures in animum tuum stillabo voluptates, quas in corpus meum depluit Hymenæus.

Tuo de lecto nondum surrexeram, et jam consanguinei, cognati et affines Cavicei mei ad Lares nostros convenerant. Meministi? Ut ingressæ sumus paternam domum, venit obviam Caviceus alacri ore, [pg 65] lætisque et micantibus oculis utrique impegit osculum, et ad me renidens:—«Ades, mea aurora,» inquit, «ades, mea felicitas. Noluit ad vos irem mater, hæ dedissent mihi pœnas nates» (demissa manu verberabat), «castigassem pigritiam. Scis te mihi esse Solem, non pro Sole; illucescas modo mihi, suum cœlo non invideam Solem.» Sub hæc salutantium nos turba circumvenit, mox dotales conscriptæ sunt tabulæ, et solemnia nuptiarum, ex more, peracta, et juris formulis, ut loquebantur: nihil ut superesset ad nuptiarum sacra, nisi victima.

*Tullia.* Victimam appellas virginitatem tuam, sine cujus jucunda et læta utrique occisione nuptiarum sacra nec sacra sunt.

*Octavia.* His actis Caviceus egoque, domi, solutis concionibus, relicti sumus. Cœpit ipse rogare sua esse vellem; respondeo me equidem maxime velle, quæ jam mea non essem. Fervidissimis basiis labia onerabat, urgebat, ignescebat, ignem per viscera mea inferebat. In eo tota eram, jam apud me non eram. Ancilla una atque altera comites datæ lateri meo hærebant, avertebant autem oculos retro ut pudicas decebat. Tunc Caviceus: «Jube exeant hæ ancillæ,» inquit, «anima mea, spes mea; hoc nuptiarum nostrarum festo die, quid tibi mihique cum illis?—Absit in eam me impudentiam cadere!» repono, «quid de me judicares? quid mater, quid domesticorum familia?» Præclusit novis suaviis os dicenti, ac demum sensi vibrari in me arma virilia. Sed ecce revertitur ad nos eodem temporis puncto mater: «Ut habes uxorem hanc [pg 66] tuam, Cavici?» inquit, «ut

amas?—Efflictim,» ait, «et perdite amo; nihil amori meo adjicere ipse ne quidem Amor possit, quo ardentior fiat. Sed per Deos Deasque omnes nuptiarum Præsides et Antistites! permitte me, mater, virum esse, et quæ vis ut habeam uxorem tam elegantem, tam pulchram, permitte me virum esse.—Adde,» subjicit mater, «et tam teneram. Te cura tangat teneritudinis ejus, nam quam impar sit pugnæ quæ mox alterum alteri committet, annos vix quindecim nata, reputa, fili, cum animo tuo.» Dehinc moræ impatiens Caviceus:—«Mei te misereat, mater,» inquit, «absumi me sentio cæco incendio, quod sola exstinguere possit uxor mea uxoria medicina. Da mihi nunc fruendam; si negas, furaris mihi quod meum est; sis mei mihi boni liberalis.» Subrisit illa:—«Sed enimvero,» inquit, «isti libidinis tuæ impetus intempestivi sunt, non præstabiles affectus. Ad noctem differ, quod dilatum gratius fiet. Mora dulcescunt amoris fructus, ut reliqua meliorum tempestatum dona. Quam intempestivæ sint hæ preces, mi fili, ipse videris; vellem sane indulgere posse quod petis: nec hora, nec locus huic rei apta sunt. Non morabor voluptatem tuam, sed ad noctem usque moderare tibi.—Ah! mater,» reponit Caviceus, «miserere generi tui, sane Octavia ipsa non negat vulneri mederi quod impressit cordi.—Audin, tu?» inquit conversa ad me mater, «vis mederi huic morbo? vis ipsa esse medicina?»

*Tullia.* Quidni velles? nimirum sapis.

[pg 67] *Octavia.* Offusus est mihi rubore vultus, qui pro sermone fuit; obmutui.—«Taces, nata?» inquit, «nam et consentis. Secede igitur tantisper, est quod tua refert maritum tuum monere; ingredere in id cubiculum interius.» Secessi passus duos tresve, et arrectis auribus in eo tota fui eorum quæ dicturi essent, ne quid me fugeret. Tunc mater ad Caviceum: «Nec tempus nec locum nuptiis faciendis apta esse dixi, fili, haud ipse negaveris: mox enim ex affinibus nostris, qui nobiscum accubituri sunt ad prandium, advenient; lecti in hoc cubiculo nulli. Nihilo tamen minus ecce tibi trado Octaviam, sed ea lege ut libidini semel tuæ pareat, hoc temporis momento. Proxima nocte frueris ejus amplexibus ad satietatem. Verum hac hora novi te et operam et oleum perditurum, cum non sit ubi eam commodo ad Venerem corporis situ loces. Demum parce ætati tuæ puellæ, nam dicunt esse te æquo membrosiorem et equo. Taurum paulo post, quantus ille sit, facile feret si sensim sine sensu assuefieri velis oneri, nec primo conatu disrumpi. Vi minus quam arte juvabit ramum illum tuum ejus in hortum adigi et inseri.» Hæc ridens: dehinc me vocat, et adhinnientem mihi videbar audire Caviceum.—«Tua non es, nata,» inquit, «mariti es, petiit sibi per momenta aliquot te tradi. Quam in omnem vitam cessit Hymen, nec ego nec tu negare possumus. Precibus acquievi, quæ tibi pro lege sunt. At volo semel tantum ejus obsequaris libidini: cum perfeceris, eripe te foras; si secus feceris, iratam me habebis.» [pg 68] Promitto facturam:—«Verum,» inquit, «verte te in omnes quos voluerit concumbendi modos, ac maxime cave ne per culpam tuam tubi maritalis imber

dispereat tibi. Ita te adsilienti præbe, ut qua te via petet, tuum in uterum decidat. Vide faxis, nata.» His dictis osculata me ad Caviceum duxit, et una inclusit.—«Hoc proximo in cubiculo,» inquit, «exspecto, Cavici, dum iter illud peregeris, ad quod te admittit Octavia in ipsa Octavia.» Secessit misso cachinno, sed momento reversa:—«Oblita eram,» inquit, «quod maxime factum oportuit...» Sed jam me sedere jusserat Caviceus in sella parieti affixa. Sub pedibus ad hæc divaricatis, elatisque femoribus, sellas supposuerat. Nuda eram ad umbilicum, ipseque arma virilia eduxerat. Ut vidit mater:—«Ingeniosa res est amor,» inquit; «quam accommodus hic situs ad Venerem!» Fugit retro Caviceus mentula minitante; respexit mater:—«O monstrum!» inquit, «sed forti esto animo, nata. Bene erit, si bona uti volueris opera tua.» Exscenderam e sella, meque ad honestatem composueram.—«Nolo,» inquit mater, «ex collisione vestium tuarum, quid hoc mane de te sit factum, convivæ nostri conjiciant.» Resolvit vestem, relictoque mihi in ima corporis mei antica posticaque parte interiori indusio: «Nunc,» inquit, «sed memor jussi mei, admitte virum tuum.» Iterum impressit osculum mihi, et aperto itidem mihi sinu:—«Quid condis papillas has tuas sororiantes? nunquid merentur Cavicei oculos et oscula?» Et ad Caviceum conversa:—«Ecce,» [pg 69] ait, «aperta est arena tibi, Cavici; adesto, athleta fortissime.» Post abiit. Lætus festinusque accurrit Caviceus, mihi indusium tollit, manumque procacem parti meæ admovet; dehinc sedere jubet, ut sedebam, utroque ponit sub pede sellam, ita ut cruribus altius sublatis, horti porta ad speratos impetus obversa pateret tota. Dexteram tamen subtus nates insinuavit, paulo magis admovit me ad se.—«Nunc vero porrigis, hera mea,» inquit, «quod me ad veram ducat felicitatis metam.» Læva sustinebat hastæ pondus; tunc procubuit in me.

*Tullia.* Agedum, quid tu interea?

*Octavia.* Nec negabam, nec ultro dabam. Alterum stupidæ foret, petulantis alterum. Applicuit arietem foribus meis; in rimam priorem, cujus labra diducebat digitis, inseruit mutonis caput. Hic vero hæsit, nec ultra quidquam conatus est:—«Octavia mea dulcissima,» inquit, «complectere me, dextrum femur tuum sublleva, et in lumbos meos mitte.—Non intelligo quid velis,» inquam, «quid moliris? te mei pietas capiat!» Sub hæc femur ipse meum subdita manu superinjicit in lumbos suos, situ quo voluerat. Demum adigit in Venereum scopum mentulam, et principio quidem impellit levi concussione, mox fortiori, ac postremum eo nisu, ut summum mihi non dubitarem imminere periculum. Rigida ea erat ac si cornea; igitur, cum minima loci capacitas negaret ingressum, et in intima viam quæreret sibi, et faceret, caligas demisit in pedes, et nudus, ut nuda eram, cominus verberare [pg 70] cœpit vehementer valli mei crepidinem. Tanta vi ruebat, et cuneo illo diffindebat me, ut lacerari me exclamarem. Paululum requievit ab opere:—«Sile, amabo, corculum,» inquit, «ita hæc res agitur: obdura immota.» Iterum subter clunes manum misit, promovitque ad se, quæ videbar in fugam converti. Nec

mora: crebris concussibus ita me fatigavit, ut fere animo deficerem. Rapido post impetu hastam impulit, summusque mucro hæsit in summo ulcere; clamorem tollo, quem audivit mater; festina accurrit.—«Heus tu, Cavici,» inquit, «oblitus es pollicitum esse mihi hanc tuam palæstram, quam indulsi tibi, ludum fore, non pugnam?» Cum hæc loqueretur, in sudorem defluxit Venereum Caviceus. Sensi me imbre fervido irrigari; at, ut primum colliquescebat, eo rapidius agebat se, et humor ille viscidus favebat conatui, ut qui contum oleo liniat. Me igitur duos tresve digitos perfodit, eamque seminis copiam plenis laticibus fudit, ut intra viscera mea penetraret, pubemque mihi postea complueret.

*Tullia.* Tu interea eras

...fatui puella cunni?

nihil movebaris, nec similiter resoluta es?

*Octavia.* Fatebor, mea Tullia, tunc primum percepi quid sit Venus. Nec omnino tamen exploratas habui omnes harum voluptatum dulcedines. Cum jam deficeret Caviceus, incessit me quasi micturientis pruriens libido; tum et ipsa retro clunes tollo, et illico sensi magna cum voluptate excerni [pg 71] ex me nescio quid, quod mirabiliter me ea in parte demulcebat. Conniventes mihi oculi, crebri anhelitus, vultus mihi ignescere, totum corpus dilabi. «Ah! ah! ah! deficio, Cavici,» exclamo, «siste fugientem animam, desiste ab hac re, quæ tam jucunde enecat!—Euge, Octavia,» inquit, «huic voluptati omnes spiritus adverte, ejice fortiter ex te, quod titillat tam suaviter sensus.» Interea nervum, qui jam elanguebat, demisso intra crura mea capite, sustulit læva manu, et iterum intrusit in ostium meum. Hic demum tactus novos in his locis ignes excitavit. Copiosa ex me titillantis fluit liquoris pluvia, ut mictus potius videretur quam ejectio seminis e locis. Hoc si temporis momento parata fuissent ad pugnam Cavicei arma, per Venerem! gaudio et voluptate ebria irritassem ultro in me ipsa ego. Tam cito curriculum illud a Caviceo piguit esse confectum in stadii mei ora, nec in ipso stadio.

*Tullia.* Ita belle, ita ad vivum rem depingis, ut me, etiam si sim silicernium, movere possis. Osculare me. Vis Lampridium? Sed non vis. Rapis me in furorem; quid velim, quid nolim, nescio.

*Octavia.* Quid tibi enim mihique cum Lampridio? Quid vis me velle? quid nolle vis?

*Tullia.* Insanio, perdix mea, turturilla mea... Eh! eh! mihi tuam manum commoda.

*Octavia.* Do propriam, non commodo. Quid postea?

*Tullia.* Mea mitte intra femina; expansa vola Veneris aggerem occupa, prehende belli intestini [pg 72] sedem, immitte digitum; mihi vero sis pro marito. Insili in me, subige, subagita. Pulchre omnia!

*Octavia.* Etenim si tibi essem quod Caviceus mihi! Sed quid umbra ad corpus? Ut admoves pubem pubi! ut committis cunnum cunno! ut hæret pectus pectori!

*Tullia.* Diffluo, diffluo... O Lampridi!.. Octavia!... Ah! ah!

*Octavia.* O te libidinosam! Tibi rivus manat e lumbis, e quo vix puellulus Amor enatare possit.

*Tullia.* Permitte tantisper requiescere ab hac rabie, nam Veneris profluvium rabies est. Sedata tandem hæc est mihi tempestas, reddita membris malacia. Redi ad Caviceum, quem in pugnatione arcis tuæ reliquisti sudore fluentem.

*Octavia.* Pergam dicere. Verum de Lampridio quid cogitabas? Quid dicebas, æstu furens impotenti? Cur potius non invocabas ad opem operisque partem Calliam tuum, quem amas, qui te deperit?

*Tullia.* Scies: communicabo tecum secretissimas meas cogitationes, lusus, delicias, gaudia. In partem bonorum vocabo te, omnia inter nos dividentur. Memineris somnii, quo qualis vitæ tuæ cursus in conjugio futurus sit, præsagire debuisti.

*Octavia.* Dividere et dividi, tu me docuisti verbum esse in rebus Venereis salacissimi sensus: et vis inter nos omnia dividi? avertat omen Venus!

*Tullia.* Te insulsam! divideris mecum, ego tecum, divisorem habebimus probum; omnia sic inter nos bona, quasi judicio Veneris Erciscundæ, nostra dividentur. O lusus, o risus, o illecebrosas [pg 73] procacitates! Sed quid obtrectas, nugatrix? Sequere narrationis tuæ filum.

*Octavia.* Gerræ, gerræ! Scilicet, seria petis, o fœminam gravem et probam? Revocas me ad sermonem, hac tua philosophia, moribus hisce tuis dignum.

*Tullia.* Hoc tuum est delicium. Sed agedum, fac quod facturam te dicis, nec facis.

*Octavia.* Etsi lapsus in paralysim Cavicei nervus peteret summisso capite inducias, minabatur tamen mole et pondere terribilis. Spumas ore agebat, et suo meoque tactus et madidus rore, identidem meam concham osculabatur. Perfecisse me cognovi, placatis meas libidinis fluctibus. Igitur liberior et audacior facta: «Quid ulterius petis,» inquam, «a me, o Domine? obsequuta sum, et me fatigat patientiæ meæ imago. Nihil superest quod præterea optes: sine abeam.» Amplexabatur altero me brachio, altera vero manu vulvam spurcitiis ejus meisque turpem tractabat, identidem offerebat arrepto fascino, non amplius arrecto. Sed ab ejus me tandem expedivi amplexibus, et dum fugienti repugno, sellam pede offendi, quæ in pavimentum dejecta, non mediocrem edidit strepitum.

*Tullia.* Tunc supervenit mater tua, hoc velut classico finiti prælii admonita, et ad lauream tuam vocata.

*Octavia.* Dicis. «Non queretur mater nos collusisse sicca Venere,» dicebat Caviceus.—«Scio,» reponit mater, «te nobilem esse palæstritam: sed vereor,

ut prædixi, ne sicut operam [pg 74] ita et oleum perdideris. Num bonæ fidei homo es? Virginem reddis quam virginem commodavi?» Ingressam vero esse non perceperam, nec item Caviceus, cui nuda adhuc propendebat ante oculos meos mentula.

*Tullia.* Haud fugit ad aspectum mater, nam

Recta veniunt, videntque magnam
Matronæ quoque mentulam libenter.

*Octavia.* Puto equidem, his de nostris rebus subodorata est muliebris curiositatis conjectura, aut etiam ipsa vidit oculis minutissima quæque.

*Tullia.* Vel quæ sanctiores et castiores, curiosæ sumus omnes harum ineptiarum. Mater mea prima nuptiarum mearum ætate, eaque aurea (sic diem voco qui nocti beatæ illi successit), nihil dulcius antiquiusve habuit, quam ut sibi quæcunque passa essem, enarrarem; et, injectis ad collum ulnis, dum dicerem, oscula figebat ori meo, quæ vix Lampridii vincant suavia.

*Octavia.* Eandem de mea audies dementiam. Effugit in alterum Caviceus cubiculum (ad Caviceum redeo), sublato manu una subligaculo, quod ad pedes defluxerat; post januam occlusit mater:—«At tu,» inquit, «ut lusisti, nata, ut maritum experta es?» Amplexu arctissimo fovebat hæc locuta, osculis premebat.—«Absit a te pudor omnis, nata, puta tibi dicta quæ mihi dixeris, in matre sociam habes ad hæc Hymenæi sacra. Loquere.»

*Tullia.* Dicenti ardebant oculi, venæ turgebant, [pg 75] hiscebat concha, per Venerem meam! Diffluebat ultro remissa. Nec miror: nam id ætatis nonum atque vigesimum annum vix attigit. Anno nupsit decimo tertio; in has te vitæ auras, felici partu, mea Octavia, edidit ineunte decimo quarto. O quali incensa æstuabat pruritu!

*Octavia.* Principio nihil respondebam; post, cum cœpit inquirere curiosius:—«Quid quæris, mater?» repono; «obsecuta sum tibi et Caviceo: tibi, nam debebam; Caviceo, nam jussisti.—At ne suspicetur quis has vestras nequitias, emittam,» inquit, «Caviceum ex domo.—Jube vero in inferius conclave descendere, non excedere domo,» inquam; «id multo erit honestius, quam si exegeris e tectis ut extraneum, qui tuus quia tua sum, et quia meus est.» Illico ad eum abiit.—«Sede interim,» ait, «dum redeo.» Demisso ad inferius conclave Caviceo, regreditur; tunc:—«Libere loquere, nata, puella es, ætate non infans, et jam ingenio matrem familias præstare debes. Mulier ego et tu sumus; hoc in quod vocata es uxoris munus, bonæ mentis fons est equidem nobis certissimus; officii nuptialis provincia quædam velut regio est judicii et mentis, in qua turpe est deficere nos judicio et mente, cujuscunque ætatis simus. Ut bona gaudia mariti in corpora nostra, sic bonam mentem in animos eodem tubo, egregii artifices, infundunt.»

*Tullia.* Quis dubitet? et ipsa satis es amplo documento, quæ ante hos dies etiam fandi rudis, hodie [pg 76] tam apte, ingeniose et comiter omnia et agis et loqueris.

*Octavia.* Vix apud nos velut in una sede moratur virginitas et bona mens, duæ pretiosissimæ vitæ res. Qui aperit nobis vulvam, aperit et delitescentem mentem, virilis contus. Forte in hoc, dum nascimur, loco detrusam, mox impulsibus concussibusve suis ex hac infima sede ad superiora agunt.

*Tullia.* Belle dictum, ah! ah! ah! si quæ tibi excussit virginitatem mentula, mentem incussit. Ideo huic nervo affictum mentulæ nomen, quod impressa sit illi facultas a Natura, creandæ in nobis bonæ mentis.

*Octavia.* Igitur audacior adhortatione matris facta:—«Non alia sum,» inquam, «mater, ac eram ante horam, nisi quod conspurcavit misere Caviceus.—Rapidum Cavicei telum vulnus tuum» (vulvam ostendebat) «non hausit?—Subire non potuit, mater, præ crassitudine,» inquam, «nec ferre ego crudos impetus; igitur erupi in clamorem, discerpi me, cum dire peteret, sentiebam.—Nec tamen intro vallum tuum pervasit, aggeremque perrupit?» subjicit.—«Non potuit,» inquam, «nam cito in humorem furor ille impotens resolutus est.—Age, ostende,» inquit, «indusium tuum.—Ecce, mater,» aio. Ut vidit abundanti imbre conspersum, exclamat:—«O filia! quid video, quam divitem et inexhaustum libidinis fontem habet Caviceus! O te lætam et fortunatam, si hæc seminis copia uterum tuum intimum irrigasset! Hæres fingi ex eo nobis potuit robustior [pg 77] Hercule. Nunc,» inquit, «nuda corpus, nam id volo a tam pulchro corpore abjici tam spurcum indusium.» Quid plura? Sumpto alio vestem indui, eaque arte et diligentia capillos et vestimenta mater emendavit, ut nihil præterea addi ad cultum ac honestatem posset.

*Tullia.* Num indusium condidit quod deposueras? Num lustravit oculis?

*Octavia.* Superstitiosa curiositate expandit. Ego vero erubescebam ad rem.—«Inundationem passa es, filia,» dicebat, «non levem alluvionem: sed apparent nullæ virginitatis læsæ lacrymæ, quid clamabas? Dum conciditur virginitas, sanguineæ ex ejus cæde stillant guttæ, quæ pereunti pro lacrymis sunt. Intelligo, pulsata tantum fuit, non vulnerata. Hac nocte se res meliori successu habebit. Sed ad id muliebris patientiæ stipendium, quod cœpisti mereri, probe te video comparatam.» Demum indusium armario condidit.

*Tullia.* De convivio, cui et assedi, nihil habes dicere quod nesciam. Felicis noctis illius, quæ subsecuta est, expone lusus et procacitates.

*Octavia.* Mei, Ecastor! conveniendi ad noctem usque Caviceo facultas nulla fuit, ita consanguineæ affinesque e virginum numero adhæserunt mihi, lateri affixæ. Raptim semel suavium tulit inquietæ, Dii boni! quam suave! Nobis alia omnis præclusa erat ad plenam voluptatem spes et via.

*Tullia.* Licere amantibus die quod cupiunt, nocturnæ vetant amoris religiones. Sua sunt nocti dona, quæ solem videre non juvat.

[pg 78] *Octavia.* Moriente die vivere cœpimus; mox solutis hominum fœminarumque importunis concionibus, relicti soli alter in alterius cupiditate emoriebamur. Tu ac Pomponia aderas; tandem utrumque manibus prehensum duxit mater in genialem thalamum: «Hac satis hactenus die laboris tulistis et inquietudinis,» inquit, «reficite animos quiete et corpora somno.»

*Tullia.*

Ite, agite, o juvenes, pariter sudate medullis
Omnibus inter vos: non murmura vestra columbæ,
Brachia non hederæ, nec vincant oscula conchæ!
Ludite, sed vigiles nolite extinguere lychnos:
Omnia nocte vident, nil cras meminere lucernæ.

*Octavia.* Me paulo ante accerserat in cubiculum mater, in quo delibata et imminuta virginitas mea. Hic, reclusa aurea pyxide, odor suavissimus nares nostras afflavit, aeraque implevit. «Revolve, nata,» inquit, «ad umbilicum vestem, indusiumque.» Obtempero. Nudam videns subrisit: «Es vere pulchra, nata,» subjicit, «et Caviceo digna. Sed hoc suaveolenti unguine facies, ut opera sua minori tuoque labore fere nullo maxime commisceatur tecum. Tuam inunge tibi partem, nullo meliori pacto poteris tuis defungi partibus.» Immitto in pyxidem duos digitos et multo fluentes unguine ad vulvæ refero monticulum.—«Nec vero,» ait, «sic facto opus fuit: intro est mittendum, non ad pubem, circum circa, ut facis, effundendum.» Mox ipsa extimam intimamque inunxit rimam, [pg 79] digitis quam altissime potuit insertis.—«Te multo junior eram, cum nupsi,» inquit, «quam nunc es; si hoc me medicamento Veneri aptiorem non reddidisset matertera, quam per ætatem eram, patrem sane tuum vix passa essem, quem tamen absque summo dolore tuli.» Rem mirabilem! cognata, illico insana prurigo vulvam incendit; et tam ardens me invasit Veneris libido, ut vix temperarim mihi quin maritum ultro adirem, ipsa concubitum peterem.

*Tullia.* Frequentior est hic usus sub hoc cœlo, cum teneriores fruendæ dantur suis viris virgines.

*Octavia.* Quid plura? Tu me in lecto collocasti, et, ut loquuta es, ultimum morienti virginitati vale dixisti. Cum se vidit solum Caviceus, diligenter occlusit cubiculi fores, meas aperturus; omnesque, ne quis abditus lateret, lustravit angulos.

*Tullia.* Hic ludus testes odit, qui tamen sine testibus non agitur:

Magnis testibus ista res agetur...

*Octavia.* Et vere acta est. Audierat Caviceus, cum diceret mater num mihi vehementer timerem, respondisse hunc marito meo injuriosum fore timorem, et cum subjiceret, si vellem, rogaturam Caviceum me humanius haberet, etiam reposuisse omnem mihi dolorem voluptati futurum, e quo illi voluptas nasceretur. Procurrit ad me, et injectis collo brachiis, pronus: «Quales,» inquit, «agam tibi gratias, hera mea, pro tanto munere? vis absque conditione [pg 80] tradi mihi, nec frustra erit tibi hæc confidentia; nihil ultra acturum me recipio, cui non consenseris. Sed, ut te novi, consenties felicitati meæ.—Sane,» inquam, «nam qui viribus tuis amorique meo possim pugnare?» Vestimenta jam deposuerat servorum ope, solaque femoralia linea supererant. Sine mora depositis, abjectoque etiam indusio, nudus prosilit in lectum. Arctissimo me ligat complexu nudam, et spississimis basiis præludit proximo certamini. Mammas, uterum, crura, clunes, libidinosis prostituit manibus; omnia pererrat membra fervidus, et miratur.

*Tullia.* Sed utilissimam nuptiis partem præterierat?

*Octavia.* Ultimum aggressus est eam. Ad suavem quem exspirabat odorem: «Non hæc tua lætissima specus exhalat mephitim,» inquit, «nec mirum, quæ tot bona continet bene olere. Rosea tota es et myrtea. Sed scio,» inquit, «mollire viam mihi in hoc gaudii tui meique campo, in animo habuit mater, et ego artem arte juvabo. Hoc tuam modo diffisurus sum conto partem» (mentulam ostendebat, rectam, crassam, longam): «ut facilius se penetret in venam hanc, cum impulero, etiam unguento mulcebo quod paravi.» Unxit, et intentans delibutam: «Nunc, domina,» inquit, «compone te ad Cupidineos hos insultus.»

*Tullia.* Ferant opem Virginensis Dea, Subigus Deus, Dea Prema, Deaque Pertunda, amica novis nuptiis numina!

*Octavia.* Unus pro omnibus fuit Caviceus.

[pg 81] *Tullia.* Hi ad genialem lectum Hymenæi conveniebant jussu indigetes. Cum Paranymphi discessissent, novam nuptam ope sua ad fortem et invictam patientiam comparabant. Aderat Virginensis marito solventi zonam nuptæ Herculeo obstrictam nodo; Subigus, cum soluta zona in apertum corporis campum pugnaturus conscenderet; Prema, cum uxorem comprimeret, faciebat ea ne se subduceret; et Pertunda ut se pertundi et pilo transfigi pateretur, nec, cum diffindi sentiret sibi tenerum corpus, pilum excuteret.

*Octavia.* Conatus facile omnes meos elusisset robustus, vegetus, quem quartus supra vigesimum annus ad hanc pugnam faciebat novum Herculem. Ipse me quo situ voluit, ad eam rem componit; non reluctantem manu resupinam altera statuit, altera aperuit femina. Post se invergit in me, et intra divaricata crura pronum conjicit. Novum hoc me terruit pondus: «Animo,» ait, «firma sis, et immota corpore, hera mea.—Non commovebor,» inquam, «sed amabo...» Sermonem interrupit cruda sævitia, nam eodem temporis momento, adactam summa vi mentulam in vulvam impulerat. Hæc dehiscens sponte summum voraverat caput;

toto post suo pondere irruit, et obsistentem loci compagem cœpit solvere.

*Tullia.* Scilicet:

Irritat virtutem animi, confringere ut arcta
Naturæ primus portarum claustra potessit.

*Octavia.* Discerpebatur misere infelix vulva; manum [pg 82] meam, interprete dolore, in auxilium rogabat mitti; missaque est ab impatientia mea. Amplius tenere vocem non potui, infixamque visceribus hastam e vulnere conata sum trahere. At osculatus me Caviceus:—«Flecti me non sinam, anima mea,» inquit; «averte manum illam tuam turbatricem: minimum tibi mihique laboris ad perfectum opus superest.» Interim sustinebam impetum, manuque injecta, ne ultra proriperet se mentula, impediebam; sed illico: «Hei! hei! corculum!» ait, «preme mihi hunc nervum quem tenes, liga arctis digitorum vinculis.» Comprimo vehementer, et eodem temporis momento depluit ros fervidus in hortum meum, nam media omnino mentulæ pars me implebat. Nec propterea subagitabat me, ut antea: ab omni se motu abstinebat, et semen profudit ita in campum meum, ut ne gutta quidem, aut stilla, ex viæ regiæ recta regione errarit. Sub hoc elanguere in manu et in vulva salax cauda cœpit. Madida, spumosa, veternosa versa est in fugam.

*Tullia.* Lucebant tunc cerei in cubiculo vestro?

*Octavia.* Ac si dies nobis luceret, ita liquido omnia patebant. «Perfeci, Dea mea,» inquit Caviceus; «quo vero voluptatis me beasti cumulo! nunc autem tantisper quiescamus ambo, alter in alterius amplexu.»

*Tullia.* Tibi autem, cognata, voluptatis nullus fuerat sensus?

*Octavia.* Audi rem ineptam: ubi exscendit Caviceus, me cepit furiosæ libidinis æstus, ego eum amplecti, osculis petere, suspiriis excitare; ille mihi [pg 83] et suavia dare, et labia ima vellicare, et digitis in pube et in cadurdis ludere. Subito emitti sentio ex venis meis deliciosum profluvium, ac cum eo humore, quo me proluerat, e claustris uteri magno se impetu projecit.

*Tullia.* Sic flumina quædam ex fonte suo, et originis capite, ingenti ferri dicuntur rapiditate.

*Octavia.* Excepit vero hos rivos læva vola Caviceus; qui ad rem hanc inopinam:—«Ego te citius, anima mea, ad libidinis perveneram metas.» Ego velut siderata obmutescere præ pudore, sed manum dimoverat ex eo loco quem hæc Veneris spuma inquinabat.—«Non opinabar te id ætatis,» inquit, «esse Veneri tam aptam. Aliæ in primis congressibus puellæ ne minima quidem tanguntur oblectationis gutta, tu pleno alveo in voluptate natas. Bene est, mea voluptas, bene est.» Cum hæc diceret, eo refert iterum lævam:—«Papæ!» inquit, «profluvium Veneris id non est, sed diluvium; quæ tibi vasa in utero latent, quæ tam

copiosum potuerint imbrem continere?» Ego ad hæc:—«Tuus est hic humor, non meus. Effunditur quem intro profudisti: qui egressum negare potui e vasculo meo tam horribiliter diffisso?—Quidquid vero id sit, anima mea,» inquit, «gaudeo vehementer te his gaudiis esse ad satietatem impletam, loquere libere.—Ita est,» inquam; «quod intulisti dum pulsas, id omne malum egregie gaudiis compensasti. Jam hodie mane umbra me quædam attigerat incredibilis voluptatis, sed nihil matutina illa Venus ad nocturnam hanc.» Interea [pg 84] hunc viscum detersi e corpore, ut potui, ad superinjectum linteum, nam sudarium mater oblita erat pulvino subdere.—«Nunc vero,» inquit Caviceus, «alacri esto animo. Volo te in omnes transire voluptatis meæ gustus, et quidquid libidini placuerit meæ, etiam tibi placere.» Petulantis aio esse mulieris sub viro subagitanti subare, et commoveri.—«Nolo te,» inquit, «motitare clunes, et mutuis motibus meis respondere; imo nolo te crura tollere nec ambo simul, nec alterum alterumve, cum super te conscendero. Sed hæc sunt quæ volo: primum divarices et aperias, quam aptissime poteris, femina. Vulvam ostentes mentulæ figendam, et eo corporis situ non mutato ad finem usque libidinem perduci meam patiaris. Sunt et alia de quibus alia te nocte faciam certiorem.»

*Tullia.* Suus cuique maritus mulieri est legislator: cuique marito sui sunt mores, et cupidines, eoque mulier præstabiliori utitur fato, quo mariti mores diligentiori studio in suos transfuderit. Proba demum ea est mulier, quæ libidinem suam in mariti libidine quæsierit.

*Octavia.* «Intumescit mihi nervus,» inquit, osculumque dedit in latus recumbenti, papillas molli tactu pressit, concham adhuc roscidam tractavit, mox lævam manum meam mentulæ admovit. Rogavit caperem; cepi. Dein me jubet componi ad congressum; obsequor. Conscendit subito, et mentulam applicat ostio: nulla mora, subiit gurgustiolum id meum rigidus hospes; sed, hausta media parte, ad [pg 85] quinque pollices altos hæsit.—«Nunc,» inquit, «volo, hera mea, numeres omnes concussiones meas. Vide ne pecces in numero.—Cavebo,» inquam, «et morem geram.» Tunc altius impressit mentulam: dum vero concussionum numerum duco, et in ea re figo cogitationem, impetu fregit ostium, et in adyta Veneris irrupit, ad coleos usque, fulminea mentula. Me acerrimus dolor coegit ad ejulationem, injunctique muneris in hac perturbatione tulit oblivionem.—«Me necas, Cavici, me necas!» exclamo; «parce miseræ.—Jam tibi res acta est,» inquit, «ecce me totum, quam longus, quam crassus sum, voluptas mea, vorasti.—Absiste paululum,» inquam, «recede, educe gladii cruenti partem.—Imo altius abdam si possum,» reponit, et dicto citius iterum furiose irruit, et ita pubem pubi conjunxit, ut se in me penetrare velle totum videretur. Tollo tunc vocem:—«Non sentis,» dicebam, «pulsas uteri mei imum fundum? Jam necas, abscede; totum gladium hunc tuum noli immergere in corpus meum!» Recessit ut rogabam, et cum mediam traxisset machæram ex vulnere:—«Quid? dulcis uxor?» infit, «an-

chora tetigi abyssi fundum?» Mox sensim sine sensu cœpit denuo immittere.—«Adverte,» inquit, «cum primum intro pulsari te senties, libere vocem mitte, abscedam illico. Nam equidem libido est frui bonis tuis, sed hæc me non tenet dementia ut cupiditatem meam velim in sævitiam mutari.» Inducit ad hæc altius mentulam, et cum urgeret:—«Siste,» inquam; «carum sed dirum [pg 86] vulnus infixo mucrone infligis.» Retraxit iterum: «Fugit,» adjicio, «cum telo tuo ex hoc vulnere dolor omnis; profundius, amabo, ne impellas.» Pubi autem meæ et vulvæ quatuor omnino pollices latos superexstabat virile pilum.—«Novi nunc quantam mentulæ meæ partem impune possis excipere. Modo tres pollices supereminéat, nullus tibi nocere poterit impetus meus. Accommoda igitur mihi manum, et ut ipsa tibi mihique sit quædam cunni tui accessio. Nam, et nescis, totum venustæ, ut tu es, puellæ, corpus cunnus unus est.» Facio, ut fieri cupiebat: insinuo in eam partem manum; et stricto digitorum complexu arreptam mentulam comprimo. Novas sane concussiones integrat, ac post decimam resolutus est, meque levi movit titillatione dum seminis rivos meam effundit in paludem. Nihil præterea; nam ejeci nihil.

*Tullia.* Ingenua sane et festiva pascis aures meas narratione. Quot vero in hac secunda coitione numerasti concussus, quot tulisti?

*Octavia.* Viginti sane antequam turbaretur numeri ratio; post vero, ut audis, decem. Sed dum exclamo, dum excrucior, dum interfici me queror, alii etiam plures, multo vehementiores, dati fuerunt. Ipsa de eorum numero judica.

*Tullia.* Agedum. Ut reliqua nocte lusisti?

*Octavia.* Toto projectus pectore pectori meo hærebat et incumbebat. Gaudebat adhuc exsugi sibi mentulam; alligatus adhuc brachiorum niveis, ut loqui solet, vinculis, me basiis atterebat, cum proximum [pg 87] cubili nostro ostiolum aperiri audimus, et eodem momento ad spondam lecti apparuit mater. Nam tu abieras, cognata.—«Hem! puto vos,» inquit, «in medio amplexu exspirasse.» Mittit se ad latus meum Caviceus, et offusa ego pudore:—«Ignosce, mater,» inquam. «Hei mihi! quam crudeli et inquieto me homini dedisti!—Macte animo, nata,» inquit, «pensi officiique tui est quodcunque passa fueris. His tibi molestiis creantur dulcia nuptiarum.» Tunc, conversa ad Caviceum:—«Virginem an uxorem perfectam habes tecum, fili?»—Me generum habes,» reponit, «et ego uxorem;» et osculum mihi dedit.—«Bene est,» inquit mater, et similiter Caviceo osculum tulit.—«Nunc meum agnosco,» inquit, «qui in mea virgine viriliter lusit.» Mox utrique obtulit potionem qua reficeremus vires, nec multo post abiit, exstinctis qui ad interiorem lecti spondam lucebant cereis. Postquam abiit, alligavit me novis amplexibus Caviceus, et aliquot post sermones, quibus me voluit rerum, quas a me aut evitari, aut servari cuperet, fieri certiorem, in longum dilapsi uterque somnum sumus. In primis dixit mirum in modum odio habere fœminei corporis in Veneris palæstris jactationes. Adjecit et alia, quæ non sunt hujus,

puto, narrationis. Illucebat jam dies cum, suscitata a somno, cœpi dormientis Cavicei corpus curiosis lustrare oculis. Fateor, cognata, nihil exactius, nihil inter homines pulchrius finxit Natura rerum parens. Jacebat supinus, pectus candidum, plenum, brachia longa, rotunda; venter modice assurgens, femora [pg 88] crassa, robusta; tibiæ nec nimium graciles, rursus nec nimium magnæ; cutis alba, nitida, sine rugis, sine mendis. Statuam marmoream dixisses.

*Tullia.* Fugit diligentem illam tuam curiositatem medius Cavicei nervus?

*Octavia.* Etiam in quiete timendus, et media in pace minax; quamvis attonito similis. Dum contemplor, credidi novos in eum spiritus ex oculis meis transiisse et immissos esse. Quasi a domina sua se videri sentiret, commoveri cœpit, et caput attollere; somnum Caviceo abrupit. Finxi ego altum soporem, et conversus ad me Caviceus:—«Dormis, domina?» inquit.—«Cur tu vero,» refero, «solvis mihi tam placidam quietem?—Putabam,» reponit, «cum diem vidi, jam vigilem esse, quæ sol meus es.» Osculum dat, papillas tractat, uterum, et potiorem uteri partem, amatam concham prehendit. Conscendit, fissuræ meæ rigidum admovet contum.—«Memor ero promissi,» ait, «ne trepides. Si altius impulero quam ferre poteris, mone.» Tunc in sulcum impressit mentulam, ad id viæ intervallum quod doloris voluptatisque noverat esse mihi confinium. In hoc ultimo hujus noctis labore me diu permoluit, ac innumeris inflammata concussibus ad libidinem, urentique correpta pruritu, non potui continere me quin nates aliquantulum attollerem. Tunc quanto potuit impetu machæram immersit ad usque capulum, nec, ut antea, dolebat; tamen gemitum misi, et, adveniente libidinis œstro, largo proluit plagam, quam intulerat, balsamo. Ex me majorem hactenus se fassus est non cepisse [pg 89] voluptatem. Sic ea nox transacta fuit nobis. Et post brevem collocutionem invasit gratissimus somnus, qui nos ad altam diem tenuit. Quid cætera referam, quæ scis, quæ novisti, et quorum etiam magna pars fuisti?

*Tullia.* At vero ignavum habes cursorem, qui una nocte solida ad tertium tantum pervenerit milliare. Sed molles fluxique omnes sunt plerique quibus appendit inguinum pondus Natura ultra communem hominum modum. Etenim sunt nuptiæ sexui nostro præstantissimum bonum: nam est infesta omnis et ignominiosa Venus quam Hymenæi lex non honestat. At citra Venerem beata vita nulla est. Sed felicitatis nostræ nobis sumus artifices omnes nuptæ.

*Octavia.* Miror, cum res sit tam dulcis Venus, non calere eo semper igne homines. Nam ad carpendos vitæ hos fructus promptiores multo sumus.

*Tullia.* Scilicet ex tua salacitate Caviceique frigiditate præjudicium capis. Amas in tuo nido pippire passerem Catulli. Ex materno sanguine fictam, nihil mirum maternis incendi caloribus.

*Octavia.* Quod matris famam oneret nihil audivi.

*Tullia.* Aliquot annis ætate provectior, suis ita infecerat nequitiis Lucretiam, Victoriam, et me, ut nobis nihil esset libidinosius. Novem aut decem annos

natæ eramus omnes. Sempronia vero mater tua jam duodecimum attigerat. Victoriæ, quam deperibat id ætatulæ, puerum esse se fingebat, me vero alterum; interdum Lucretiam Victoriamque appellabat, ac si amans dominæ loqueretur amatoriis verbis, sollicitabat ad amorem. Se uri querebatur, [pg 90] æstum suum osculis amplexibusque temperaremus, rogabat. Nos vero, quas nullus tangebat Cupidinis sensus, ridebamus, sed osculabamur, sed amplectebamur. Mox manum sub vestem mittebat, liberrimo tactu delibabat pudicitiam. Interdum humi jacere volebat resupinas, revolvebat vestes, et indusio nuda corpora prostituebat oculis suis. Divaricari crura jubebat. Ipsa se similiter nudabat; post insiliebat in nos, quasi vir esset subigebat. Tali matre ortam decet Veneri esse simillimam. Eh! eh! eh! Memini, audi.

*Octavia.* Credam quæ narras, si docueris qua tandem sit ratione factum, ut quæ ad libidinem sit adeo proclivis, se tamen ab omni turpitudine servarit purissimam.

*Tullia.* Faciam. Sed audi puerilis amentiæ licentiam. Tres quatuorve menses antequam nuberet patri tuo, contigit nos agere secum pomeridianis horis. Pater materque aberant, et e familiarium numero nutrix relicta ejus erat custodiæ: sed in alia domus parte operam dabat domesticis rebus. Semproniæ erat a pedibus delicatus, lætus Dionæus, annorum puer plus minusve quatuordecim. Admisit puerum in puerilis lusus societatem, et post concursationes, saltationes, et omnis generis nequitias, cœpit sibilis et dicteriis Jocondum petere. Id puero nomen. «O puellam!» dicebat, «nos autem pueri sumus, tu pupula. Videte, sodales, ut modeste se habet. Moriar; hominem non esse, sed virginem puto. Virginem operit virilis vestis. Sexum sane vestemque dehonestat.» Ille, ut pueri solent, [pg 91] primum pudore suffundi, postea se fuga proripere. In fugitivum omnes involavimus. At cum retraxissemus in interiorem lecti spondam:—«Nunc videamus quis quæve sit,» inquit Sempronia. Manum prima intra ejus femoralia infert.

*Octavia.* Nec reluctabatur Jocondus? Ah! ah! ah!

*Tullia.* —«Apage,» dicebat, «sane virgo non sum, et mox sciam utrum virgines sitis.» Libidinosæ occurrit manui nervus, quem extraxit e carcere. Ut sensit intra manum succrescere:—Hem, quid hoc est;» inquit ad me conversa; «tange etiam tu, Tullia.» Ego, ac Victoria, manus admovimus harum nequitiarum rudes. Sensimus tactu hoc nostro magis magisque turgescere; repetit quoque tactus Sempronia.—«Cum primum,» ait, «tractavi hanc rem, carneam inveni, nunc eburnea facta est. Dic, Joconde, scis tuæ supellectilis usum?—Nunquam expertus sum,» inquit, «juventutem meam. Sed scio tamen.—Doce igitur,» reponit Victoria.—«Docebo sane omnes vos,» inquit, «sed alteram post alteram, et in eo loco» (ostendebat secretam lecti spondam). «Volo autem Semproniam primam edoceri.» Igitur manu Semproniam capit, et in eam ducit voluptatis regionem. Asiaticis stratum erat tapetibus pavimentum: pulvinos binos in humum

projicit:—«Nunc sede, domina,» inquit, «et momento post docebo usum tui hujusque membri» (mentulam ostendebat), «et nihil usquam hoc esse usu dulcius fateberis.» Illa se ultro mittit in eum pulvinum; dehinc [pg 92] femoralia solvit Jocondus, et apertis coleis genua flexit inter Semproniæ femora.

*Octavia.* Videbas tu?

*Tullia.* Videbam, ut tu me:—«Volo tibi, domina,» dicebat, «pilum id figere in uterum.» Hæc dicens, altera manu evertit in alterum pulvinum, quem accommodaverat sustinendo capiti, altera Semproniæ vestem et indusium, quam altissime potuit, replicat ad zonam. Mox effudit se in eam, et primo alterove insultu in ejus fissuram pilum impulit. Tremere visa mihi est Sempronia.—«Eh! eh!» inquit, «dolet, Joconde, sed jucunde dolet.—Vis abscedam?» respondet.—«Nolo vero,» reponit illa. Cœpit Jocondus agitare, et illa singulos ad concussus repetebat:—«Eh! eh!» donec uterque titillatione nova est velut emotus mente.—«Ah! ah!» exclamat Jocondus, «amplectere me, domina, micturio.—Et itidem ego,» reponit Sempronia, «eh! eh! impelle, impelle vehementer; deficio.» Frequentiores integrant concussiones, mutuo insultuum subsultuumve motu.—«Quam apte,» dicebat Jocondus, «sublevas nates! quam ingeniose motitas!—Te vero,» dicebat illa, «sentio vere intro meiere. O rem! o rem!..» Defecit in hæc verba et paulo post adjecit: «delectabilem!» Sic utrique id opus peractum est. Cum exsurrexisset Sempronia, venit in meos amplexus:—«O mirabilem lusum!» inquit, «abeant deinceps pueriles nostræ ineptiæ! unus Jocondus doctus est ludere dulcem et egregium ludum.» Osculum dedit dicenti Jocondus, dedit et mihi Victoriæque, ab [pg 93] ejus ludis similes delicias sperantibus.—«Sed me sentio, quasi si in me multo imbre deplueris, sub indusio meo madidam,» inquit Sempronia. Ad hæc ejus sub vestem manum misit Jocondus.—«Cave, domina,» inquit, «ne indusium tibi tuum inficiatur hoc humore,» et abstersit ipse diligenter. «Etenim, si nutrix materve tua animadverterent hoc Veneris tuo in indusio effluvium, conjicerent te vitiatam fuisse.—Nec a vero aberraret conjectura,» inquit Sempronia.—«Hem! quid audio? Quid fecistis vos?» quærebat Victoria. «Nihil omnino vidi nec æque fui curiosa ac tu, Tullia.—Quod solent parentes vestri facere; quod facient mariti in quorum venietis amplexus,» ait Jocondus; «quod faciam mox, mox ego tibi, id fecimus. Nam eam volo quæ vestram junior est, dum mihi integræ ad irrumpendam Veneris arcem sufficiunt vires. Minor in ætatis provectioris puella difficultas, nec tam improbus labor.»

*Octavia.* Jam apud me non sum, in stuporem me conjicis, quem fando non explicem. O mater! o quam te memorem, mater!

*Tullia.* —«Ætate mihi, Joconde, cedit Victoria et habitudine corporis,» respondeo; «verum ingenio me longe et pulchritudine superat.—Ambæ,» inquit, «lepidæ estis et forma insignes,» refert Jocondus, «utrique bona mea commodabo. At vero neutri mammæ intumuere: Semproniæ tamen jam niveum pec-

tus ornant, non implent.» In Victoriæ sinum manum intulerat, mox in meum, et paulum excrescentia invenerat mammarum vestigia, [pg 94] non mammarum orbes.—«Sane si in ea corporis summa regione eos non invenis globos, in media tamen invenies lacteam viam quæ te ducat ad cœlum,» inquit Sempronia, faceta et salsa puella. Ad eam conversus Jocondus:—«Osculer,» inquit, «domina, pretiosas illas tuas papillas, quæ me donarunt immortalitate.» Basiis oneratas innumeris ostendit mihi Victoriæque sororiantes, duras, candidas; mox eam projecit in lectum resupinam tractavitque uterum et Veneris fanum. Voluit et nos ipsæ lustraremus oculis, digitisque; dehinc me deturbavit in pulvinum, et nudati corporis aspectu se ad satietatem implevit.—«Accede vero, Victoria,» inquit, «permitte me bonis tuis frui.» Negantem adduxit Sempronia. Mittit sub indusium manum, pudenda prehendit, labia diducit, digitum inserit. Lanugine nondum obnuptus mihi erat hic locus.—«En,» inquit Sempronia, «respice liberius Tulliæ meæ dotes,» et simul vestem indusiumque alte resolvit; «sed tot miraculis, ut es genibus stratus et supplicis in modum, basium inferto,» subjicit. Uterum igitur, et quid mentiar? ipsam etiam libidinis concham, osculo veneratus est. Interea cœpit inter tot amoris incentiva arrigere; se nudam deflectit in Victoriam et in ulcus dehiscens trusit impetu rigidum pilum. Sustulit vocem Victoria:—«Apage, apage,» dicebat, «non patiar;» sed post quintam sextamve impressionem telum omnino hausit, et Veneri hæc est pleno coitu initiata.

[pg 95] *Octavia.* Non secesseras tu et mater, dum devirginabatur Victoria?

*Tullia.* Cum vidimus tam parvo conatu in intima penetrasse Jocondum, prosecuti sumus plausibus procurrentem admissis equis ad metas, et de Victoria in Victoria triumphantem. Profudit maritalem rorem in puellæ sulcum, quam nullus tamen perfectæ beavit voluptatis gustus. Re patrata sudario extersit Victoriæ campum, quæ, se cum erexisset in pedes:—«Exit,» inquit, «e fissura mea, nescio quis humor, quem sensi e tuo corpore in meum fluxisse.» Sustulit dicenti indusium Jocondus, et sudario leviter admoto iterum detersit; album vidimus liquorem sanguine mixtum. Tunc injectis brachiis alligavit pectori suo Victoriæ pectus. Conquerentem dire se habitam solatus est. Sudarium postea explicuit cruore et Venereo sudore tinctum:—«Etiam te virginem fuisse fateretur Apella Judæus,» inquit.—«Nunquid et ego fui,» reponit Sempronia, «serve ultra servitutis nequitias nequam?—Imo et tu fuisti, domina,»—respondit Jocondus; «sed quia per ætatem eras, quam Victoria, paulo apertior, ideo tam apertis virginitatis cæsæ notis meum non decorasti triumphum. Nam opima, quibus hæc contingunt, referre se putant spolia, et eo beatiores quo difficilius et diutius anhelarint. Gustum voluptatis labor acuit.»

*Octavia.* Miseret me tui, quæ his deliciis interea, quibus jam mater mea et Victoria ingurgitatæ sint, tandiu abstines.

*Tullia.* Puer delicatus et tener, attritus lassitudine, [pg 96] deliquescebat, sicut et libidine. Ego ad eum:—«Jam langues, jam deficis, Joconde? num sufficient tibi vires ad amplexus meos? Abibo ego vidua ex his nuptiis?» Risit Sempronia.—«Non abibis sane,» inquit; «ecce vadem me habes, Joconde; sed gustatione recreandus es, qui nos tuis bonis ditas munificus. Perge ad nutricem, roga gustationem afferri mihi et sodalibus.» Paret; ac paulo post placentam saccharo conditam puer ingentem attulit, et in lagena optimum vinum. Ego primo puero non exiguam do partem placentæ: non edit, sed voravit, vini cyathum etiam do bibere.—«Tibi edit, tibi bibit Jocondus,» inquit Sempronia. «Cura ipsius corpus qui mox in tuum non notas fundat delicias.» Semproniæ, et ipsi etiam Victoriæ eadem Jocondi cura. Igitur refectus potu et cibo vires sibi dixit omnino esse restitutas, quas in earum vulvis reliquerat. Illico in amplexus meos et oscula advolat: projicit in pulvinos male repugnantem, Sempronia ridente. Quid plura? Summa se satiavit intra femina mea voluptate.

*Octavia.* Igitur facilem habuit in te aditum?

*Tullia.* An te fallit nos Italas laxiores esse plerasque omnes in tenera juventute?

*Octavia.* Sane me ac te jure exceperis.

*Tullia.* Nugæ! Nupsimus ambæ prodigiosis mentulis. Priapo ad Deos sublato, si Lampsacena tellus duos tales præterea viros, ac sunt Callias et Caviceus, tulisset, non desiderassent pruriginosæ nurus [pg 97] exstinctum Priapum, cujus hic magnificus sermo:

Hæc est commoditas in nostro maxima pene,
Laxa quod esse mihi fœmina nulla potest.

Strictæ visæ sumus quibus nulla potuit videri laxa fœmina. Nam postquam traditæ sunt Sempronia et Victoria viris suis, quanquam bene mentulatis, et ætate, quam est Jocondus, multo provectioribus, a primo congressu in ima viscera telum condidere, pleni coitus absoluta cepere gaudia. Ita est, cognata, hiant, hiant Veneris ostia antica deformem in modum Italis Hispanisve fœminis: putes non hominibus tantum, sed etiam mulis natas. Verum in nobis Jocondus jam semiaperuerat maritis nostris ad hæc gaudia viam.

*Octavia.* Hoc cogitabam; et ne difficilior esset ineuntibus, aditum patefecisse.

*Tullia.* Falleris: nam nec medii digiti mei longitudinem, nec pollicis crassitudinem pueri mentula superabat in ea ætate. Omnes vero maritis nupsimus egregie mutoniatis; Victoriæ tamen et Semproniæ maritos, licet probe ad eam rem comparatos, fatendum est nec cum Callia posse, nec cum Caviceo comparari. Dicunt Medici naturæ eos modum excedere, qui arrigunt ultra septem octove

transversos pollices: est mensura communior, si longitudinem quæris; sed crassitudo magnitudini respondere debet. Aiunt vaginæ voraginem et altitudinem ad os usque matricis extendi in coitu per septem octove pollices; ulterius absque aliqua mulieris incommoditate [pg 98] aut etiam ærumna posse negant. Ita fiunt, si crassitudine nimia nervus intumescat, difficiles coitus. Dum dilatatur ad lacerationem vagina, plus hostilitatis in muliebria arcana infert dira mentula, quam pollicebatur amoris. Sed sane quo juniores, eo sumus aptiores cujusque modi hominum peculiis.

*Octavia.* Putabam matre mea mulierem nunquam et nusquam vixisse sanctiorem. Qua tandem arte factum est, cognata, ut nec pater meus, vir maxime suspicax, nec fama, quæ omnia per urbes, vel reconditissima, rimatur et vulgat, ac si viderit, nihil unquam animadverterint in ea quod non probarint, non laudarint? Nam et eam efflictim deperit parens, et omnes summis laudibus, ut pudicam et probam ut quæ maxime, cumulant.

*Tullia.* Quæ pereunt mulieres, aut famæ, quæ vita potior est, jacturam patiuntur, eæ pleræque omnes, sua culpa, in eam incidunt calamitatem. Recte dictum est «esse modum in rebus, esse certos denique fines». Non in rebus consistit laus et vituperium, sed in rerum usu; vafrum et callidum ingenium pro prudenti habetur, et prudentis est se quibusdam veluti limitibus circumsepire. Ab his nulla amoris libido, odii nulla impotentia, quæ nos plerumque obcæcant, animum cautæ et judicio præditæ abducant. Vis bene beateque vivere, Octavia? omnia putes tibi licere, et nihil. Id summum tibi sit præceptum, in ea vitæ conditione, cui te nuptiarum lex addixit.

*Octavia.* Vix ac ne vix quidem, id quid sibi velit percipio: quomodo omnia mihi licere et nulla arbitrer?

[pg 99] *Tullia.* Quæ poteris commode, absque mariti tuorumve offensa, id tibi licere omne habeas persuasum; quod certo absque periculo non poteris, id omne vetitum ne dubites. Impræsentiarum imbuenda mihi es veræ solidæve sapientiæ præceptis, quibus in posterum totius vitæ cursum regas. Debeo illis omnes meas voluptates, et servatam incolumem pudicitiæ famam, dum ludo, dum adolescentiæ bonis libere fruor. Illis et tu debebis felicitatem tuam. Ad voluptatem uno spiritu omnes ducimur, uno cursu ferimur malæ et bonæ. Sed malas nulla tangit honoris cura: bonæ existimationis et gloriæ decus voluptati, ipsique adeo vitæ, anteponunt. At bonis non una omnibus via ad gaudia euntibus. Imprudentes et insipientes fere plerasque omnes in medio cursu aut ignominiosa mors, aut spississimæ dedecoris tenebræ intercepere. Alias, quæ se duci student sapientiæ præceptis, comitatur usque ad fornices et cellas laus et interrupti lusæ multitudinis plausus. Igitur non mutandi fines, quod abhorret a recto, sed quærendorum finium mutanda ratio et modus.

*Octavia.* Qui sunt hi fines, quæ investigandorum ratio? Libenter audiam rem scilicet gratissimam quia utilissimam.

*Tullia.* Paucis absolvam. A perfectis cum Callia nuptiis mensis vix intercesserat, cum ex meis Calliæque moribus jam bene perspectis, has ego mihi tuli ipsa leges, quas ad hanc diem servavi diligenter. Quos ex iis fructus capio, et tu, si servaveris, capies. Principio adverti animum ad eas res [pg 100] omnes quæ supra, quæ extra, quæ intra. Supra me est religio, quæ rerum politicarum primum obtinet locum, sed in Naturæ ordine nullum. Vidi quid religioni, cui subsum, quid mortalibus reliquis, quid mihi deberem. Primum decet omnino religiosas esse mulieres nuptas, aut videri. Nam quæ religiosa est et esse non videtur, haudquaquam præstat quæ utique religiosa videtur, nec est. Summa nuptæ felicitas ex mariti pendet judicio. Ea beata fortunataque est, quanquam nullius pretii, quam æstimat plurimi maritus; secus deflendæ sortis, quam odit aut despicit maritus, naturæ donis, virtutum dotibus cumulatam. Sed postquam ferventiores illi amoris æstus in nostris amplexibus tepuerunt, mariti, quam opinionem concipiant de nobis, a virtutum numero quæ lucent in nobis metiuntur. Amore suo dignas non judicant, quas bonas non putant. Nos ideo amant, priusquam bonis nostris fruantur, quod pulchræ, quod lepidæ, quod juvenes. Demum cum libero corporum nostrorum visu, tactu, et usu, libidines suas expleverunt, nos amant si æstimant, si bonas credunt, si virtutibus instructas vident. Igitur, Octavia, finge te ad eos mores, aut finge eos mores. Nulla unquam delebit oblivio, nulla res obliterabit quam ceperit de te in his nuptiarum tuarum primis diebus, opinionem Caviceus. In hac vitæ scena, quam induisti personam, belle tibi est sustinenda.

*Octavia.* Vis me larvatam incedere? Sed deponitur facilius hæc animorum larva, quam sumitur.

*Tullia.* Consequitur id uxoriæ prudentiæ caput, [pg 101] hoc effatum: Publicos ritus, communes usus, nefas sit floccifacere. Palam vive omnibus, clam et in tuto tibi. Objecto sanctitatis velo vitam tege. Civili vitæ multo utilior est, qui male facta probitatis specie honestat, quam cujus bene facta sub umbra flagitii latent. Honestatem indue, sed quam, cum opus fuerit, non ægre exuas. Jurent qui te viderint in his officiis multam et totam, tuis nihil esse moribus sanctius. Sciant quos beare volueris nihil esse amplexibus dulcius, moribus amœnius, consuetudine liberius. Semproniam æmulare matrem tuam.

*Octavia.* Quæ doces aperta sunt, quæ de matre loqueris incerta et obscura.

*Tullia.* Æque est mihi nota ac tu. Ejus furores passa sum, ut tu meos. Hæc institutionis conjugalis capita scias ejus ex moribus atque consiliis esse derivata. «Inter mortales immortalium tibi loco sit maritus,» dicebat mihi, cum nupsi. «Cui cor sapit fœmina, pro certo habeat, esse se mariti voluptatibus natam, reliquos homines omnes suis. Alterum marito debes, alterum tibi. Quidquid exegerit vir tuus tuo ab stipendio, obsequere. Tibi turpe videatur nihil, quod illi dulce videb-

itur. Omnes te muta, ut Proteus, in figuras, cum jusserit. Cum ludendi liberius tecum libido incesserit, omnia sint honesta tibi, quæ in ludum vocaverit. Ejus ultro servi libensque libidini, serviant tuæ alii.» Sic ego cum Callia, sic cum Lampridio.

*Octavia.* Bene est, jam quid tibi sit cum Lampridio commercii intelligo.

[pg 102] *Tullia.* Juvat et te scire Veneris meæ reconditiores amœnitates. Calliæ usum corporis mei, qualem cupit, hilariter præsto, imo unde nulla mihi creetur voluptas: Lampridio vero eum qui mihi commodissimus est et jucundissimus. Imperat alter, impero alteri; alterius sum ego, meus est alter; fruitur usu corporis mei alter, ego alterius. Non ita aurum discrepat a plumbo, ac domina differt ab uxore. Longe minori distat intervallo tellus a cœlo, quam felicitas liberæ concubinæ a conditione mulieris nuptæ. Demum felix ac beata eris cum alteram alteri miscueris.

*Octavia.* Ego vero quærerem amantem amens? Ipsa invitarem procum in amplexus meos, inducerem in lectum? Avertat hanc a mente mea impudentiam Venus! Præterea non timerem mihi a justa mariti ira, si in eam caderem contumeliam infelix? Profecto novi ejus animum: si me hujusmodi suspectam haberet licentiæ, nec homines, nec Dii ab ejus me manibus vivam eriperent.

*Tullia.* Nolo pudorem tuum fatigare: communicabo tecum Herculis mei oscula, libidines, lumbos. Te in ejus amplexus conjiciam, in equum tuum tollam eum ultro manibus meis.

*Octavia.* Te festivam, ah! ah! ah! sufficient illi latera, scilicet?

*Tullia.* O nequam jam ab ingressu cellæ prostibulum! Parem tibi inveniet par meus, si Veneri tuæ sit impar.

*Octavia.* Joco dixi quod serio capis. Sed enim narra mihi, mea lena, qua tandem arte tam fidum [pg 103] carumque hospitem comparasti? An dono tibi datus est, an tute in ejus ultro venisti arbitrium et jus? Quibus excæcasti Calliam tuum carminibus? Quæ te tuæ fraudes tot voluptatibus delibutam beant, et a tantis quæ circumveniunt libidines nostras undique periculis, tutam tectamque habent?

*Tullia.* Quidni dixerim? O scortulum merum et putum! Miranda referam. Paucos post dies quam Sempronia mea, mater tua, nupsisset, erat magna pompa invehenda in Lares Victorii. Id prius sedula opera petiit a matre, sibi ut addiceretur Jocondus, qui sibi esset a pedibus scilicet et a mentula. Nec ægre exorari passus est Victorius.

*Octavia.* A sexto mense elapso duxit Jocondus uxorem, nec e nostris propterea tectis excessit. Et sane, cum ea quæ interdum vidi ipsa, aut audivi, dum una essent et ætatem meam spernerent, curiosius relego, ex iis omnibus in tuam deducor sententiam. Ita est, Tullia, fruebatur matris meæ bonis Jocondus.

*Tullia.* Loquere, quid times?

*Octavia.* Quam gnaviter opinione de se concepta abutebatur! Fallacem virtutis speciem! Vidi sæpe colloquentes, colludentes, cum domo abesset pater. Vellicabat matrem meam Jocondus, nec jam a pedibus, sed procuratorem gerens. Nec tamen mammas, quod viderim, aut illam corporis nostri partem appetebat. Forte ingressus cubiculum, in quo mater et ego una eramus: mater attalico opere telam lana pingebat; ego ut pueri solent cum catella, quam aure arreptam tollebam in aera, ludebam. Ille matrem [pg 104] læto vultu aggreditur, manu a sede sublevat, et abducit volentem nolentem a conspectu meo. Credebam exiisse e cubiculo, et gaudebam esse me mihi relictam; sed illico audio lectum gemere, et matris, ac si aliquid moleste pateretur, vocem. Ego arrigo aures metu perculsa, mox et arrecta in pedes advolo. Audiit mater, et antequam propior facta essem accurrit, intra ulnas ridens suspicit, osculis premit; Jocondus vero evanuerat in auras. «Quid tibi,» aio, «dolebat, mater, cum te audivi suspiria mittentem?—Nihil admodum,» inquit; «cum regredior in cubiculum, ictu in hunc lecti pedem incusso fere talum fregi.»

*Tullia.* Sane. Nihil autem percepisti præterea? Nihil de eorum consuetudine subodorata es?

*Octavia.* Multa, sed quæ cadant tantum in conjecturam, probationis loco esse non possint. Ea uterque cura effugiebat oculos meos, ut certi nihil unquam assecuta sim. Quod unum probe intellexi, sedulo curavit mater, ut de se optime sentirem, et probissimam mulierum esse nostratium mihi persuaderem.

*Tullia.* Scio: et se ut optimam et sanctissimam tibi commendarem, multis et enixis a me precibus obtestata est. Sed quæ de ejus arcanis palam aperio tibi, non minus reliquis omnibus condita oblivione silebunt.

*Octavia.* Parricida essem, si matris meæ, cui tam cara hactenus fui, famæ non parcerem, quæ vitam pretio superat. At vide quo me dolo ludi voluit. [pg 105] Tres omnino dies, antequam Caviceo dedita sum, hoc me sermone agressa est: «Perendie, nata, Caviceo nubes; hoc tantum intervallo a spurcitiis et sordibus distas hactenus pura et sancta, quia virgo. Cum virginitatem deposueris, virtutes te multæ, ut conspurcatam tabe, fugient, aliqua ni opera forti et præclara, quæ earum deceat severam gravitatem, continueris a fuga. Nihil est cœlestius virgine puella, nihil vilius conscelerata puella.—Quid vis me facere, mater?» repono. «Liceat igitur virginitatem meam per omne vitæ ævum servare intactam, reconde me in Vestalium choros.—Absit,» inquit; «nec res nostræ, nec amor in te meus patietur unquam te vivam consepeliri. Sed obsequere consilio meo. Statue voto concepto te omnem libidinis curam et affectum odio habituram et horrori. Amove mentem tuam, ut et ego amovi semper, ab his spurcitiis, et amittendam pudicitiam sacrificio venerare, amissam sacrificio defle.—Volo,» inquam, «sed ad quod hortaris me sacrificium, mater?—Volo et obsecro,» ait, «Octavia mea,» et dicens osculata est, «volo te ipsam in id vocari sacrificium, manumque tuam et meam

his sacris operari utramque. Sed opus est constanti et forti animo.—Non deerit,» inquam, «animus.» Tunc jurejurando adegit sibi ut pollicerer omne id passuram, quod consilii sui esset.—«Cras mane,» inquit, «quandoquidem tam proba, tam bona, tam casta es, nata, quam venusta, quam ingeniosa, quam nitens, postquam in templo spoponderis Superis quod [pg 106] pollicita es mihi, rem exsequemur tibi gloriosam, honestam, et longe utilissimam.»

*Tullia.* Nihil novi loqueris; rem omnem enarravit, ut gesta est, credulitatem quidem irridens tuam, fortitudinem vehementer collaudans.

*Octavia.* Igitur ab hoc me abstineo sermone: quæ scis, amplius scire non potes.

*Tullia.* Imo volo pergas, si me amas. Rem per summa capita perstrinxit Sempronia, non ita, ut tu, diligenter per singula exsecuta fando est.

*Octavia.* Primo mane jubet e lecto surgere; post, indutis quæ adpararat pretiosissimis vestimentis, ducit ad Theodorum, ex eorum secta, quæ vultu et horrida barba, passaque canitie, magnam vulgo videntur sibi præferre vitæ sanctitatem. Ut sacris adfuimus, accedit ad me ille: «Habes,» inquit, «filiola, matrem, quæ tibi omnia bona et sana precatur. Nubes intra triduum, purgandus tibi ab omni labe animus, ut te parem et idoneam huic cœlesti dono præstes. Nam pueros edes in lucem, qui si bona es, sedes, e quibus infernæ mentes deturbatæ sunt, obtinebunt; earum autem, si mala es, numero accedent. Quæ tibi erit optio?» Ego rubore offusa tacebam. «Loquere, loquere,» inquit.—«Volo,» respondeo, «et bonam esse me, et illos bonos.—Accede igitur.» Quid plura? Provoluta ejus genibus, effero omnia, quæ vel minimo mihi vitii contagio infecta videbantur. Cum audiit me jam libidinosa pollutam esse licentia, parum affuit quin stomacharetur. Tamen monitam abstinerem ab his rebus jubet bono esse animo, et [pg 107] omnino parere matri quæcunque exigeret a patientia mea. Tunc matrem advocat, et eductum e dextra vestimenti manica fasciculum cordularum, quem non explicuit, matri porrigit.—«Non parces virginis tuæ cuti,» inquit, «nec tu tuæ; quæ sis ipsa exemplo. Si contra feceris, pœnas dabis.» Sub hæc exiimus ambæ.

*Tullia.* Hi homines sic illudunt facilitati nostræ, sic regnant.

*Octavia.* Verius dixeris: sic nos virorum illudimus credulitati, sic regnamus. Ubi ingressæ sumus interius domus nostræ penetrale, e quo scis prospectum in hortos dari, occludit fores mater: et mihi fasciculum subridens tradit explicandum. Explico, video flagri esse genus e cordulis quinque compactum, quem minutissimi, iique frequentissimi distinguebant nodi. «Hoc te nunc pietatis choragio oportet adornari et elui, nata, sed volo tibi prælucere exemplo,» inquit. «Jussæ sumus, quantis viribus poterimus, inflictis proscindi flagris. Obsequar ego, et obsequeris tu, ut te novi.—Obsequar,» inquam.—«Non adeo firma es,» addit, «ut possis ipsa a te ferre quæ me pati videris; adhibebo tibi operam. Dum carmen summissa voce querulaque accinam, lætari animum meum intra pectus

vehementer ne dubites.»

*Tullia.* Nunquid tibi metu tenellum corpus contremiscebat?

*Octavia.* Me haudquaquam putabam adeo fortem, et ad pœnas luendas alacrem, ut visa sum mihi et matri. Et vere jactant nihil constantius et fortius [pg 108] esse muliere, si obstinato velit animo ad dolores obdurari.—«Quid terimus tempus, nata?» inquit mater, impresso osculo. «Solve stolam mihi celerius, ut denudentur infames corporis partes omni supplicio dignæ.» Solvi ut jusserat. Ipsa ad medium truncum indusium revolvit interius, et supra lumbos. Tunc se mittit in genua, et hac lanienæ supellectile sumpta in manus:—«Adverte, filia,» inquit, «et ferendi doloris cape exemplum ex me.» Sub hæc, digiti impulsu leniter sonuere fores.—«Novi quis hic sit,» inquit mater, «adest Theodorus sanctissimus mystes, utrique futurus adjuva, et promisit sane se venturum si copiam haberet.» Iterum digito ferit ostium:—«Ille ipse est,» inquit mater, «adest Theodorus, aperi, nata.—Quid, mater, vis te ab eo nudam conspici?» inquam.—«Non scis,» reponit, «mihi esse notissimum? Illi acceptum fero, quicquid in me est non pœnitendi decoris.» Demisit tamen indusium dum aperio. Ingressus ille renidenti vultu cœpit utramque laudare, et potissimum matrem, mihi exemplo præesset se meque digno, hortari. Multa adjecit quæ me eo furore accenderunt, ut peterem ejus me manibus sanctissimis cædi. Nam multo sermone, eoque accurato, probavit omnem, extra flagitium, pudorem flagitium esse; eas demum pudere merito, quæ nudas se hominum oculis, voluptatis et libidinis causa, objiciunt, non quæ pietatis et castigationis. Alterum turpe, alterum honestum: alterum mortalibus quidem, alterum immortalibus placere; tum ejus generis [pg 109] ærumnas magnæ esse utilitatis. Nam illis omnino, velut mirabili quodam lavacro, eluuntur, quas contraxerint et admiserint in se fœminæ, sordes, si quantum nefarii gaudii ex suo corpore inhonestæ ceperint, tantum similiter cruciatus in sensus suos intulerint. Pleraque sic aboleri secretis his suppliciis, quæ profiteri aut mystæ aperire sceleratus pudor vetat.

*Tullia.* O commoda documenta, si quæ libidinosa est et pudens! Ego sane hæc tua, Theodore, præcepta nihil moror. Perge.

*Octavia.* Denique post hos sermones flagrum ipse sumit, provolvit se ad ejus genua mater, itidem et ego. Jubet pone matrem paulum secederem, oculos in eam defigerem, singulosque ictus, quo caderent, tuendo sequerer. Ad matris latus lævum astabat, et cum dixisset illa indulgeret sibi sanctam operam, et quasi carmen occineret, magna vi in ejus nates apertas irruere acerrimi ictus. Contremiscere his inflictis mihi visa est; consequuti sunt leves aliquot ad hos graviores. Demum ita miseram proscidit, ut vibicibus ictuum exaratæ nates, quæ prius candidissimæ erant, viderentur lanienam exsecrari.

*Tullia.* Nihil vero querebatur?

*Octavia.* Nequidem hiscere ausa est; semel elapso gemitu: «Ah! pater,» inquit. Irasci autem ille ad eam vocem:—«Non abibis inulta,» ait, «e manibus meis.» Jubet pronam demisso capite et pectore corpus in humum flectere. Obsequitur, sic nates exporrectæ flagro occurrebant; ac demum per dodrantem integrum ulla absque intermissione [pg 110] cæsa est.—«Nunc satis gaudii animo tuo injectum, surge,» ait Theodorus. Surrexit dejecto ad pedes indusio, stolaque induta, ridens me amplexu suo petiit.—«Nunc tuæ sunt partes, nata; putas animum sufficere tibi ad hunc ludum?» inquit, «nam ludus, non labor.—Ita suppetant mihi, ut animi, sic corporis vires!» repono. «Quid me facto opus est?—Accommoda tuam puellam,» inquit Theodorus, «huic pietati. Spero futuram te fortiorem.» Ego interea conniventibus oculis terram spectabam. «Meam equidem spem non falles,» dicebat; «loquere.—Conabor,» refero, «opinioni de me tuæ respondere.» Interea defluxerat ad pedes vestis, indusiumque mater revocabat ad lumbos. Ut me nudam sensi, summus vultum meum pudor rubore omni suo offudit.—«Nihil opus est tibi genua flectere, filia,» inquit, «persiste recta, ut es, et immota.» Post adducit ad Theodorum:—«Vis beari?» inquit ille, «vis ad cælestem per dumeta pervenire voluptatem?—Nec animus deest,» respondeo. Post cœpit levissimis sensus meos ictibus irritare, non vexare.—«Poteris, filiola, duriuscula pati?» interrogat.—«Poterit,» inquit mater.—«Potero,» repono et ego. Tunc a lumbis ad ima crura me totam cordularum cruda momenta percurrerunt.—«Satis, satis,» dicebam, «mei te, mater, misereat!—Macte animo,» inquit, «vis ipsa tu peragere id officii quod superest? nam medium hactenus est confectum.—Bene est,» inquit Theodorus, «videamus ut sibi adulabitur. Habe tibi flagrum, filiola, ipsa diverbera [pg 111] imam hanc, quæ sedet in corpore tuo, libidinis aream.» Admota mater manu manui meæ, docet, ut hac illacque vi impellendum sit in eam partem huic contumeliæ apertam et objectam. Adduco ictum magna vi unum atque alterum, post elanguere cœpit dextera.—«Nequeo ipsa ego, mater, sævire in me,» dicebam; «abs te omnia feram.» Moram hac ignavia mea Theodoro feceram. Cedo illi flagrum, tunc feralem illam repetit cantilenam suam, et intermissa verbera mater. Ego lacrymas fundere et ingemiscere: post ad quemlibet ictum nates motitare, mox fugere, ita ut omne cubiculi spatium pererrarem.—«Quid hoc est?» inquit Theodorus, «o segnem te et vecordem!» Nam mater flagrum abjecerat in lectum. «Num vis matre tam forti nata, fortius agere?—Volo,» inquam, «sed cohibete fugam, profecto ego vocem et gemitus cohibebo.—Obsequere igitur, nata,» inquit mater.—«Obsequar uti volueris,» repono. Tæniola utramque mihi ad pugnam manum vincit sericea, nam manibus repugnabam; pronam post projicit in lectum.—«Vide dum vapulas, ne commovearis,» inquit; «si feceris, impuram te et infamem puellas inter impuras et flagitiosas judicabo.—Non commovebor,» respondeo. «Lacerate ut volueritis miseram cutem.—Accede, Theodore, honesta virginem meam hoc tuo beneficio,» mater ad Theodorum. Dum conjectas in

vincula manus manibus premit mater et osculis fovet, laniat, scindit verberibus Theodorus.—«Macte, macte,» dicebat mater; «majori te miraberis [pg 112] voluptate perfusam, quo duriori te subjeceris castigationi.» Subito Theodorus:—«Bene est, abunde est; virgineo cruore ecce pudicitiæ libatum et litatum.» Aliquot post ictus ingerit. Dehinc ad matrem flagrum projicit sanguineo imbutum rore.

*Tullia.* Notatum, voluisti dicere?

*Octavia.* Utcunque de flagro se res habuerit, certe de cute mea male actum. Sub hæc, mater:—«Nata, quibus te laudibus veham in cœlum Heroidum unam, quæ talia tam generose perpessa es?» Demum laudata utraque, et a me extorta voti religione ad novas post fœdatam mihi virginitatem ærumnas, exiit e tectis Theodorus. Me, cum abiit, arctissimis brachiorum vinculis junxit pectori suo mater: «Volo nunc eas cubitum, filia,» inquit, «finge tibi caput dolere, quod sanum est, ut tenellos artus recrees, corpusque reficias, quod hæc, quam heroico superasti conatu, tam dire vexavit laniena.» In lectum collocat, fovet vires delicatissimis cibis. «Ego sane,» dicebat, «huic rei assuevi, nihilque mihi ex hac re, quod me incommodo afficiat, creatur damni.» Frigida vero aqua rosaceo unguento delibuta nates lavit, duobus in locis vulneratas et læsas ad vivum. «Obdormi nunc, post duas horas revertar.»

*Tullia.* Scis quo ierit? quid fecerit dum dormis?

*Octavia.* Non, per Venerem! Nec tamen somnum vidi nisi post horam: nam incensæ mihi nates pruriebant, sed titillatio quædam leniebat dolorem.

*Tullia.* O si tunc junxisset Caviceum tibi sors [pg 113] bona! Nam et mater tua Jocondum, cui cœlibes noctes aliquot jusserat, accersitum misit. Nec diu præstolata est. Extemplo, qui se ad complexum heræ acciri noverat, advolavit. Eo in cubiculo cæco quod contiguum illi est, in quo jacebas, invenit residem. Jacebat et ipsa in lectulo; illico basiis, tactibus, vellicationibus excitat mentulam ad pugnam. Momento expergefit illa; e concha exsilit sua, in concham Semproniæ insilit.

*Octavia.* Qui scis? Quis te hæc in arcana alienæ voluptatis vocavit?

*Tullia.* Ipsa me postridie ejus diei convenit, ac rem omnem enarravit. Ter intra horam immissa fortiter hasta perfodit jacentem Jocondus, ter pleno ipse tubo pluit in ejus alveum. Ipsa vero septies e libidinosi lumbi anfractibus humidas stillavit delicias. Abs te ne subantis vox exaudita sit timuit, dum frequens in ipso Veneris deliquio repetit: «Morior, urge, urge, cor liquescit, cor liquescit!»

*Octavia.* At verum sane istud est. Audire etenim mihi visa sum nescio quid in proximo murmuris. Sed in mentem non venit, quod id esset, quærere. Præterea a sex tantum mensibus duxit uxorem Jocondus, puellam formosam, teneram, procacem, avi mei e concubina naturalem natam sedecim annorum.

*Tullia.* Adde probam, timidam, obsequentem, et cui omnem infregit ad gaudia audaciam materna labes.

[pg 114] *Octavia.* Audivi nimirum parentem meam improperantem natales. «Iter matris,» dicebat, «impuro creta sanguine facile sequitur nata.» Respondebat illa lacrymis et fletuum eloquenti sermone.

*Tullia.* Erat infelix Julia apud Vestales vestras, quibus Theresia præest, amita tua, quum Jocondus, qui jam per quindecim annos Sempronianum fundum ligone excoluerat suo, mercedem laborum petere cœpit, et precibus querelas miscere. «Tuus sum sane,» ejus hi erant sermones, «sed hactenus, domina, quid muneris accepi a te, quo honeste possim esse tuus et credi? Quæ te constituendæ fortunæ meæ tetigit cura? Pauper, nullus, de locupleti domina queror. Te si rapiant mihi fata (sed ima prius dehiscat mihi terra!), quid de me, quem efflictim dicis tu amare, misero fiet?—Abeant ineptæ illæ cogitationes, inconsulti timores ex animo tuo,» reponit Sempronia. «Pulchram profecto puellam decretum mihi dudum est connubio tibi jungere; constitutum et amplissimam dotem de mea pecunia dare. Sunt penes me, quæ nescit maritus, sex millia nummorum aureorum: hæc habes jam, si vis, in numerato.—Jube me in crucem agi,» inquit Jocondus, «si unquam tuorum immemor fuerim beneficiorum. Omnem conditionem, quam volueris, accipiam libens.—Nosti Juliam,» adjicit Sempronia, «quam educandam suscepit Theresia; hanc tibi conjugem addico. Non ita pura pupilla tibi est ac puella tam elegans.—Ah! domina,» refert Jocondus, «quas tibi non haberem gratias ob tam cœleste [pg 115] donum!» Quid plura? Leges dictæ sunt; Julia Jocondo nuptui data.

*Octavia.* Jam aliquot ab annis procuratorem agebat in domo e Jocondo Gonsalius. Illi urbanarum rusticarumque rerum potestas summa. Ejus sedula et fidelis cura semper parenti meo laudata. Non miror, cui tam multa nostra debet domus, Juliam esse concessam mercedem præteritæ servitutis, pretium futuræ. Quæ vero indictæ sunt leges?

*Tullia.* Hæc millia sex nummorum quatuor intra annos solvenda iri; interea apud Guelisium mercatorem deposita; tunc demum Gonsalio numeranda, si steterit promissis, de quibus chirographo convenit, sed fructus per id tempus percepturum. Conditionum summa hæc fuere capita: primum acturum semper cum uxore sua Julia ut agi Sempronia voluerit, nec uxoris loco habiturum si noluerit haberi; quæcunque aut verbo aut scripto significaverit, impigre et alacriter daturum effectui; res domini et dominæ, ut eis erit commodissimum, curaturum; iisdem sub tectis habitaturum, in ea domus amplissima parte quæ incolenda assignaretur.

*Octavia.* Nupta, nec nupta est Julia; maritus, nec maritus Jocondus.

*Tullia.* Vere: nam pactis inter eos nuptiis, prima nocte qua una cubuerunt, noluit Sempronia cum Julia Jocondum ultra duas fututiones jure mariti uti: adacto ad jusjurandum, ut mentiendi potestatem adimeret. Dum loquitur, dum adulatur, dum mira pollicetur, eo et Jocondum incendit æstu, ut impigre subagitaretur ab

eo tribus continuis fututionibus. [pg 116] Post exsanguem demisit ad Juliam, iterum extorto juramento, se duo curricula in ejus stadio non excessurum; et sane ea nocte tantum devirginata est. Postera die sciscitatur curiose ut se res haberent a nova nupta, an vere nupta sit, et facta in mariti amplexibus mulier. Erubescens illa conniventibus oculis pudorem testabatur, et silebat; post fassa est se virum esse bis expertam. Sequenti nocte bis iterum comprimi voluit, et ineunte luce, cingulo pudicitiæ illi lumbi ligati sunt, et ostium Veneris pendente a cingulo cataracta obductum, nec nisi post octo dies copia fruendæ data. Rem miram! ab ea nocte hunc ad usque diem, quinto tantum supra decimum coitu virum sensit, et se esse nuptam.

*Octavia.* Audivi de cingulo pudicitiæ, cum Julia, ante hos dies, nescio quid sermonis esse matri meæ. Quæ vero hujus cinguli ratio esse possit, quæ pudicas reddat, me latet.

*Tullia.* Disces. Postridie, cum surgeret Julia, accessit Jocondus. Zonam illam, testibus amotis, explicat. Illa ridens:—«Quid hoc sibi vult,» inquit, «in quo aurum lucere video, quod affers?—Hoc te nunc cingi juvat,» ait ille, «pudicitiæ cingulo, et muniri adversus maternam labem. Cingulum pudicitiæ vocant; hoc ante te plures annos Sempronia gessit, hera mea, et tu geres; ita egregiam sibi adepta est famam, quam etiam spero te tibi comparaturam.» Cataracta aurea quatuor pendet catenulis chalybeis, villoso sericeo panno indutis, quæ cum cingulo eadem arte committuntur ejusdem metalli. Duæ ab altero latere, [pg 117] duæ itidem ab altero, cataractam a tergo et a fronte sustinent in eam immissæ. Retro supra lumbos cingulum connectitur sera, cui tenuissima est clavis accommodata. Cataracta alta sex digitos plus minus, lata tres, sic a perinæo pertingit ad summæ exterioris rimæ oram, et id spatium omne quod intercedit, utrumque inter femur tegit, infimumque uterum. Tribus radiis distincta apertis exitum lotio præbet, aditum vel summis digitis negat. Sic velut thorace adversus extraneas mentulas illa pars munitur, cujus usum, cum vult, facilem habet cui Hymenæi lege adjudicatus est.

*Octavia.* Quid secum nova nupta?

*Tullia.* Quod ipsa tecum post aliquot dies, nam et tibi fingitur id supellectilis genus.

*Octavia.* Nesciebam quid meditaretur Caviceus cum diceret de cingulo pudicitiæ, esse virtuti honestarum mulierum longe utilissimum amicum, et rogaret num induere id vellem, ac mater id consilii daret.

*Tullia.* —«Quid me opus facto est?» inquit Julia, cum dejiceret lecti operimenta vir ejus.—«Immitte,» ait, «pedem alterum intra catenulas has duas, alterum intra has.» Immisso utroque cingulum ad superiora retraxit, cataractam rimæ opponit, cingulo pectus imum paulo supra lumbos devincit, seram immissa clavi occludit: «Nunc in tuto est tibi pudicitia,» ait; «bene est; an ægre feres?—

Non equidem,» inquit. Mox surgere nudam jubet, e lecto demittere se, ambulare. Ut jussa erat, surgit, exsilit e lecto, progreditur aliquot passus, ait se non ita commode ut prius ambulare, [pg 118] divaricatis cruribus sibi ob cataractæ amplitudinem.—«Assuefies,» ait ille; «molestum nihil mirum id sit quod novi pateris.» Mox jubet pronam humi demisso corpore procumbere. Procumbentis dorsum, clunes miratur, nam ad amussim dicitur Natura ejus corpus expoliisse et effinxisse. Tentat utrum digitum, quidve simile in ejus rimam induci possit; illato digito negari sentit ingressum. «Tuta sunt omnia,» inquit. Repente ad Semproniam se proripit: «Nunc, domina,» ait, «accipe duas claves, sed prius istam» (mentulam ostendit), «nam rumpor.—In bonam accipiam partem,» refert Sempronia. Ipsa revolvit vestem et indusium, resupinamque sternit se in proximum lectulum. Impellit ille veretrum, et admissis equis feruntur impetu ambo ad summam quam cepere voluptatem. Re patrata:—«Jam clavem reddo tibi tuam seræ meæ tam aptam, cede alteram,» ait Sempronia.—«Ecce habes,» reponit Jocondus, «sume.—Nunc accipe,» adjicit Sempronia, «quæ sit animi mei sententia. Volo cum Julia rem tantum habeas liberorum creandorum causa, omnes vero voluptates tuas mecum expleas; volo cum ea vere te maritum esse, mecum procum et amantem. Ideo tibi hanc tantum clavem reddam quindecima quaque nocte, cum prius tamen hortum meum rore demulseris tuo semel atque iterum: nolo enim Juliam nosse quid in his rebus possis, quam sint tibi firma latera, robusti artus. Volo autem eam esse in opinione, sic maritos omnes se cum uxoribus habere. Orabo Theresiam, amitam meam, [pg 119] ejus interea ignes sermonibus et castigationibus identidem aut sopiat, aut exstinguat. Si, ut hactenus fecisti, me amabis, mihi obsequeris, si mea voluptas una, et fidelis, te mecum esse non piguerit, habebis patronam ultra vota tua beneficam: sin minus, hostem infestam. Scis aut amare, aut odisse mulieres: nihil esse tertium.—Accipio legem,» inquit; «quis me beatior esse possit inter mortales, quem voluptatibus cumulat pulcherrima mulierum, ut optima, quem liberis donabit vere meis lepidissima conjux? Eam vero tibi mancipio do, et dedo; nec, si volueris, cum ea cubabo, ne scilicet contactu meo vegeta, florens, valetudine pollens ad libidinem inflammetur.—Absit hæc a lecto geniali vestro injuria!» reponit Sempronia; «cum senseris ardere, fac sciam: Theresiæ, quæ omnino pendet a nutu meo, ope restinguentur incendia. Ad Venerem meam hæc sit tibi volo incentivum, ut modo fuit.» Ita invidet uxori maritum, Jocondumque vult proprium habere, stabili velut connubio junctum.

*Octavia.* Invidit etiam tibi, puto.

*Tullia.* Invidit; et, quominus quererer me ab ea lusam, Lampridium substituit Jocondo. Ex Anachoretarum numero fuit Lampridius, qui omnem etiam hominum aspectum fugiunt; sed cum se nullius adhuc vinculis innodasset, accepto commeatu, transfuga patriam repetiit Penatesque. Illi ingentium bonorum cumulus; sed inter cives ob mutatam vitæ conditionem læsa fama. Igitur licet

bono, nobili, diviti, et adolescenti, frustra illi nuptiæ [pg 120] tentatæ cum Lucidia primum, et postea cum Livia, nobilibus puellis. Hac affectus injuria, quæ maxime pupugit animum, abjecit omnem conjugii spem et votum. Affinitate conjunctum et amicitia hospitio acceperat, qui solum fere exilii causa verterat, pater tuus. Cum ædes vestras frequento, cum eo mihi verba plura, ac sensim sine sensu in id adductus est, ut ingenio meo faveret, fortunatum diceret Calliam; se vero, si talem sors bona amicam daret, Superis suas non invisurum felicitates. Sempronia, ut nascenti amori gratia et suavi sermone atque illecebris obstetricarem, suadet. «Nam, si Lampridium,» dicebat, «tuo amore incenderis, nulla res eum unquam abs te avellet, sola mors eripiet tibi. Novi hominis constantiam, et animum; odio vero affines omnes et consanguineos prosequitur: certo certius ejus in tuam domum fortunam omnem derivabis.» Quid plura? quæ se scit mulier amari, vix ac ne vix quidem illum non amabit a quo amatur. Amabam Lampridium, et paulo post in has convenimus conditiones, navante ad hoc sedulam Sempronia operam: se daturum Calliæ omnium bonorum suorum partem publico instrumento, ac constitutum iri, si absque testamento moriatur, eundem dici sibi heredem: me vero chirographo mea manu scripto omnem illi in me potestatem daturam, ne tamen quicquam promissuram ante transactionem hanc cum Callia pactam: quod paulo post, consentientibus quorum intererat, et plaudente Sempronia, scripto mandatum. Eadem die, antequam Laribus vestris valediceret, conveni Semproniam, [pg 121] ornatu cultuque eo nitens qui formæ meæ novas Veneres adderet. Affuit Lampridius, qui meis mox genibus advolutus: «Te Deam veneror,» inquit; «certe mihi semper Dea eris: patere mortalem divina tua frui pulchritudine; meis steti promissis, sta et tuis.—Stabit,» reponit Sempronia, «vivite felices ambo, qui alter alteri satis ampla eritis felicitas, vestra si bona noritis. Interim agite res vestras.» Dicens exiit, occluditque fores.

*Octavia.* Quid tunc Lampridius?

*Tullia.* Surgit in pedes, osculatur, mammas tractat, et pugnantem ut quæ vinci vellet projicit in lectum, revolvit vestem et indusium, et dexteram demittit intra femina. «Linque, linque, apage, apage,» dicebam, «perdis me, ausim postea tollere oculos, cœlum suspicere? Quid me dehonestas?» Ille osculis vocem præcludebat. Mox vi impellit hastam; vorat eam uno succussu adactam pruriens vulva, et quo penetrat intus momento, pluvio semine multo me sentio irrigari: copiosiori nunquam imbre depluerat in hortum meum benefica Venus. Emorior etiam præ gaudio, Octavia mea, cum memini ejus horæ, quæ vitæ meæ dies omnes longe bonis suis superavit. Nec præterea defecit: novos concussus integrat; dilabor iterum atque iterum in effluvium. Tandem ejecit in sulcum, tam firmo ligone tandiu proscissum, libidinosis excretum e lumbis rivum.

*Octavia.* Habes profecto Herculem, ut dicere soles, non quales sunt reliqui homines.

*Tullia.* Post secundam ejaculationem eosdem [pg 122] concussus repetit. Scilicet, ingenue fateor, fututiones fututionibus continuat. Semel, ut jam audiisti a me, duas in me Callias iteraverat uno cursu; hic tres, quo pervenisse paucos præterea puto Veneri caros. Eodem momento me cepit acerrimus pruritus: effusi sunt omnes mihi sensus in Venerem. Nescio quid servaveram huc usque pudoris, obstinato animo: hoc momento me mei etiam cepit oblivio. Ex humili lecti sponda pendebant mihi pedes, et me vehemens incessit succutiendi equitantis furor: innitor pedibus; uterum tollo et lumbos quam altissime possum, obviam eo ruenti. Tunc suavium dat, manum sub nates mittit:—«Nunc me gratum esse tibi sentio, domina,» inquit, «agedum.—Quid agam?» repono, «insanio.» Eodem momento connivent oculi patrantes, anima me reciprocando deficit, rabida titillatione sentio largum liquescere in humorem. Advertit Lampridius, pulsat, impellit, agitat: mox et ipse fervido me ferit seminis ictu. Sic alter in alterius amplexu deficimus.

*Octavia.* Moves me ad libidinem: Vestam hac tua fabula salaciorem redderes quam sint passeres Veneri sacri.

*Tullia.* Recedens Lampridius suavium tulit resupinæ:—«Pugnam,» inquit, «post paulo iterabimus; quale demum ferres judicium de me, si cum tam præstanti, ut tu es, pari, ignavum me præstarem pugilem?» Ego vero, ut exsurgere e lecto volui, percepi me deficere lassitudine; nam illius [pg 123] ope, ut erigerer in pedes, opus habui; nec facere potui, quicquid conata sim, quin dilaberer in lecti spondam.—«Hei mihi!» exclamo, «vires omnes infregisti mihi impotenti hac vesania tua, Lampridi; quid faciam? haudquaquam me potero ferre in domum.—Recrea corpus quiete, Diva mea,» inquit ille, «et si potes, modico somno; ego sane alacer et lætus sum: quidni sim, qui in te, cœlestis pulchritudinis fœmina, explevi libidinem meam, quæ Venere potior es? Interim abeo, quiesce.» Cum hæc loqueretur, advenit Sempronia ridens, et cantillans nescio quid liberi et pinguis.—«Ut fœdus inter vos feriistis?» inquit, «ut vestris vos bonis ingurgitastis, ut se res habent?—Ego vero,» inquam, «perii,» expressis lacrymulis aliquot invite manantibus.—«Quid fles, Domina?» ait Lampridius, «tuus sum, ulciscere ut volueris petulantem, qui tuis se deliciis immersit.—Apage,» reponit; «ut satisfecit voluptati tuæ? ut gratam invenisti, et aptam libidini?—Nemo,» inquit, «unquam fuit homo me beatior: omnes quas mente concepi, quæ vix opinione excogitari possunt, in ea inveni voluptates.—Tu vero, Tullia, loquere;» ait Sempronia ad me, «ut tuis sensibus satisfactum? ut placuit tibi Lampridius?—Placuit sane,» respondeo, «ut præterea nihil optari melius aut dulcius queat; sed, me miseram! rupit artus meos lassitudine, ut vix tres passus ambulare possim, ita fatiscunt mihi lumbi.—Te miseram! ah! ah!» reponit Sempronia; «sed abi, Lampridi.—Abeo,» ait, [pg 124] «si veniam indulserit Tullia mihi, si amare me professa te teste fuerit.—Et do veniam,» inquam, «et te perdite amo, qui me hon-

ore summo pudicitiæ quo superbiebam, hanc me deturbasti in turpitudinem, quæ me pudore obruit.» Dehinc osculatus me, excessit: excedentem vero insequuta est Sempronia.—«Paucis te volo,» inquit, «siste gradum, nec quæ tu aut ego dixerimus, ad Tulliæ aures ire poterunt. Dic libere, reperisti in ea quas sperabas delectationes?—Majores multo,» inquit, «quam pollicitus eram mihi. Forma Tulliæ divina, divinum eloquium, divina dona: quas tibi reddam gratias pro tanto munere, quo vehor in cœlum? Sed, amabo, obtine ut, antequam exeat dies, satiari me permittat suo concubitu.—Nec te satiari juvat,» refert Sempronia, «nec ejus e re est ut te ejus, aut illam tui, ulla unquam capiat satietas.—Inepte loquutus sum,» ait, «sed intelligis quæ mea debuerit esse oratio.—Servabo hanc tibi in hoc cubiculo ad crepusculum usque,» inquit Sempronia, «nam cœnabit nobiscum vir ejus: cras translato in eorum domum hospite, liberius ages cum ea, quod faustum felixque utrique sit; abi et cura corpus.—Curabo,» inquit, et abiit. Reversa ad me Sempronia refert quid sibi cum Lampridio fuisset sermonis, quid mihi cum eo rei fuisset rogat itidem. Refero, me gravissima queror premi defatigatione.—«Reficiam extemplo vires tibi,» inquit, «hoc labore exhaustas; recreabuntur lauta gustatione, et leni quiete; sine irrepat tibi somnus, dum ad Calliam, [pg 125] qui te ad se vocat, eo, et ut opinor, ad conflictum: tibi dolere caput dicam.»

*Octavia.* Calliam forte vocabat, qui Jocondus erat.

*Tullia.* Rure agebat hac die Jocondus ad villicos missus. Vix videram somnum, cum ad fores nescio quid audio strepitus; reclusis, video lautissimam afferri gustationem.—«Surge,» inquit Sempronia, «cibo hic tibi repellendus capitis dolor. Agedum.» Edi, bibi hilariter, ac illico restitutæ mihi vires. Desilio de lecto, complector Semproniam meam; mihi sortem gratulor. Post duas omnino horas, ecce Lampridium, qui humanissimam impertit nobis salutem; aderant enim e domesticis quidam. At enim ubi recessere servi, effusus est in meas laudes et gratiarum actiones; sed abrupit sermonem Sempronia:—«Jam is est,» inquit, «excogitandus nobis modus et ratio bene et secure vivendi; cavete ne lædantur Calliæ oculi: quæ pestis in utriusque immineret caput, si quid subodoraretur de rebus vestris!—Nihil prorsus ab eo timeo,» inquit Lampridius, «nec dominæ meæ, ut sit hominum perspicacissimus, si quidem velit illa ex præscripto meo vivere.—Volo maxime,» aio, «tuo regi arbitrio: ab hoc tempore habebis addictissimam Tulliæ animam.—Principio,» inquit, «novi Calliæ ingenium: nec bonus est, nec malus, sed qui aut bonus, aut malus fingi facile queat. Post paucos dies, polliceor tibi, Domina, futurum mihi et amicissimum et familiarissimum. Expiscabor etiam intimas mentis cogitationes: cætera committe industriæ meæ. In id maxime incumbe, [pg 126] tuis ut ne ex oculis, ore, gestu quicquam percipiat, quod amorem mutuum nostrum aut testificetur aut significet. Ego variorum, et imo duriorum, ero in te consiliorum author, cum e re tua meaque videro, quæ tibi saluti sint, aut sospitent amores nostros. Quam egeris in hac fabula personam, ex illa vitæ

nostræ salus et felicitas omnis pendebit.—Nihil,» respondeo, «mihi a me tibique timeas. Prudentissimam et obsequentissimam habebis.—Obsequentissimam?» inquit, «nunc sciero: peto osculum.—Dabo,» inquam.—«Peto suavium, non osculum,» ait.—«Dabo,» aio.—«Peto complexum,» inquit.—«Dabo complexum,» inquam.—«Peto plenum gaudium.» Tacebam ego.—«Obmutescis, Domina?» ait, «negas mihi hanc beatitudinem?—Utere jure tuo, inepte,» reponit Sempronia; «vis ipsa te suum tollat in equum? Huic insistam ostii limini, nam qui sciunt, hic te esse, domestici, ut mali sunt et protervi, mirarentur solum cum Tullia esse relictum.» Urgebat interea paterer in amplexu meo liberari se amoris æstu, et ubi paulo secretius abesse a Semproniæ conspectu vidit:—«Quid vereris? excubias agit Sempronia.» Vi igitur impellit in lectum, et collocatam commodo corporis situ petit, meam mentulæ manum admovet, capiam rogat.—«Quid vero tu,» dicebam, «ad hanc me cogis fœditatem?» Retraxi manum; conscendit in me stratam et, detectis inguinibus, exspectantem teli mucronem in parma mea, non alba, non ingloria. Demittit femoralia, mox procumbit in pectus meum, [pg 127] utero uterum pressit, et telum infixit.—«Nunc ostendes me abs te amari,» inquit.—«Dubitas,» refero, «qui prostitutam me habes omni libidini tuæ, te amari?—Fungere igitur generose et fortiter partibus tuis.—Fungar,» repeto. Tunc vehementissime cœpit concutere; ego succutere, nates tollere crispantes, motitare flexibiliter lumbos. Primus titillationem præsentit advenientis gaudii, at omni nisu et agitatione pervivaci exorienti favi libidini; post, intro sensi in lumbis aperiri mihi Veneris fontem:—«Ah, ah,» inquam, «quid me vexas? age, age, deficio!» Hoc exiit temporis puncto ex me in me Venerei roris dulce coeunti donum.—«Agite, agite,» sub hæc Sempronia; «ecce audio venientem Calliam ad nos.» Dejicio equitantem re nondum bene patrata, nam cum exiit e concha mentula, uterum fervidis polluit guttis stillans. Momento post:—«Nihil est, nihil est,» inquit Sempronia, «nescio quæ meis vox auribus illusit.» Dicto citius in me resilit Lampridius, adigit iterum hastam, novum aggreditur prælium. «Me necas,» dicebam, «secede paulum; me in animæ ducis deliquium, vocabo Semproniam.» Interim ille imperterritus rapidis subagitabat concussibus; novos excitat æstus in me, stillat abundans mihi ex abdito intra lumbos Veneris fonte virus; demulcet iterum me pruriginoso semine, et ni progressa ad nos Sempronia diremisset pugnam, ad tertium processisset effluvium inexhausta illi libido.—«Satis est ludorum,» inquit, «timeo non hominum, sed fortunæ insidias.» Exscendimus uterque e lecto, et magna [pg 128] cavit cura Sempronia, ne quid in vestium attritu, capillorum confusione, corporis ornatu, exprobraret mihi meam licentiam. «Tam velox tibi sit veredum, Lampridi,» inquit Sempronia, «quam bonus et egregius cursor es!—Habeo,» inquit, «non cursor, sed servus, et ex animo servus, quæ me ad summum vexit voluptatis cumulum, patronam non veredum.» Igitur nuptiæ primum nobis factæ sunt apud Semproniam, et sub ejus oculis, quæ amores nostros nascentes

velut sinu suo fovit. Acceptum illi refero Lampridium meum, qui et tuus erit, juvenem, comem, urbanum, vegetum, fortem, quem nec Hercules in hoc certamine viribus et lateribus superet, illi cedat Æneas pectore et armis: nam amplum illi et firmum pectus, et bene compacti ad laborem armi, quorum victoria sumus et triumphus.

*Octavia.* Perge dicere, amabo, mea Tullia, de his rebus vestris, quarum me mirifice delectat narratio; saltem præcipua deliba capita, et qualis in te fuerit primis diebus, eloquere.

*Tullia.* Rides, inepta: illi summa dies non dissimilis primæ; æque calet, æque ardet, æque in amorem meum furit. Cœnavimus illa prima die ambo, cum parentibus tuis, vestris sub tectis, cœnavit et Callias; quos inter se severint sermones abs re dixerim. Revertimur domum. Multa de Lampridio loquitur Callias: multam inesse humanitatem, ad ejus se intimam proclivi ferri via amicitiam, honestum, et moderatum, et multi ingenii adolescentem videri. Bacchum sequitur Venus. Dum videt vestem me deponere, et eductos intumescere mammarum globos [pg 129] (nam multa nox quietem indicebat), antequam me mitterem in lectum, manu captam inducit in musæolum illud geniale, nostro lecto proximum. «Hic erit locus,» inquit, «et Veneri sacer et Musis.» Tollit altera manu stolam et indusium, altera mentulam longam, gravem et si unquam alias rigidam et contentam admovet cryptæ meæ. «Protende adversus me lumbos, Tullia mea,» inquit. Projicio. Tunc impetu facto trudit in vulvam, occupat totam loci capacitatem, agitat ille delicias suas frequenti motu, et irritat ad novos pruritus; motito similiter lumbos, crebro et frequenti succussu; utramque mihi clunem utraque manu comprehendit, deducit, reducit magna vi ad se. Primam me urunt ignei advenientes Veneris stimuli, semen mitto; consequitur rabiem meam Callias: «Jam diffluunt mihi venæ, age, age!» Motitationes integro excitatiores ad ultimos usque seminis spiritus; mihi vulva ad plenam voluptatem egregie, maritali exhausto tubo, operata est, comprimendo et exsugendo caram mentulam. «Nunc volo,» re patrata inquit Callias, «mecum de nostris imposterum rebus alacriter convenias, Domina: nam domina semper eris mihi.—Volo equidem,» respondeo, «quidquid volueris me velle; quod nolle jusseris id utique nolo. Scelus sit mihi et flagitium non eadem per omne vitæ tempus sentire ac tu senties! Quid cupis, Domine, præstari tibi a servitute mea?—Equidem,» inquit, «persuasum mihi est te esse honestissimam, et pudicissimam, quamquam vulgo dicunt non admodum castas esse quæ sunt litteratæ; [pg 130] timeo tamen virtuti tuæ, nisi tu illi, nisi ego opi fuerimus.—Quæ res, quæ mea culpa hanc injecit cogitationem in animum tuum, anime mi?» inquam, «quæ de me tua est opinio? Nec tamen deprecari velim quidquid ceperis consilii.—Volo,» inquit, «induere tibi cingulum pudicitiæ; si pudica es, non detrectabis; sin minus, videris ipsa num merito movear ad id quod meditor.—Quod volueris,» refero, «induam, et qualecunque sit, læta feram; quæ

tibi sum nata, tibi etiam uni ex animo fœmina ero et præclusa omnibus reliquis, quos aut sperno, aut odi: nec alloquar Lampridium, imo nec respiciam.—Non faxis,» inquit, «imo volo te cum eo familiariter sed honeste agere; nec ille, nec ego habeamus de te conquerendi causam, ille si durius eum habeas, ego si liberius; sed veniet a pudicitiæ cingulo liberioris cum eo consuetudinis tibi usus, cum Lampridio mihi omnis securitas.» Tunc vitta sericea, qua supra lumbos involvit corpus meum, dimetitur ad crassitudinem corporis quæ futura sit cinguli amplitudo; dein ab inguinibus meis ad lumbos, id etiam alia vitta definit spatium. Hoc facto: «In hoc etiam curabo,» ait, «palam fieri tibi quanti te æstimem; erunt catenulæ quæ villoso panno sericeo involventur aureæ, erit cataracta aurea, craticula aurea, lapillis pretiosis exterius distincta, et faber aurarius hujus nostræ urbis præstantissimus, mihique multis obligatus beneficiis, in id incumbet, ut præcellens sit artis suæ specimen; etiam honestabo te, dum videbor facere injuriam.» Quæro, quanto tempore perfici id [pg 131] cingulum possit; respondet, intra quindecim dies absolutum iri, interea petere ne irretiri Lampridium ullo mecum feram commercio sermonis, postea ut animo insederit me cum eo gesturam. Ivimus cubitum, ac ea nocte ter iniit me, ter plenos libidinis gurgites evomuit in cymbam meam, magna cum utriusque voluptate.

*Octavia.* Te Veneri caram, cujus hortum, intra tantillum temporis, irroravit novem continuis coitibus Venus! Et potuisti ad hæc curricula impigre desultori inservire?

*Tullia.* Potui sane, et etiam incitato cursu ad postremum coitum, cum Cupidineus imber e stillicidio decidere maritali negare velle videretur, ita commovi, agitavi, succussi, ut vel invitus magna stillarit copia. Me convenit sequenti luce Sempronia; refero omnia hæc Lampridio, ille qui paulo post advenit,

... Nostris novus incola terris.

*Octavia.* Nihil autem rei tecum habuit illa die?

*Tullia.* Nec nisi post decimum diem; per id tempus nullus cum eo mihi familiaris sermo, cum videremus defixos Calliæ in nos esse oculos, et ejus jussu etiam servorum:

... Lingua mali pars pessima servi.

Nosti hujus generis vecordiam et malignitatem. Osculare vero tu me, nam in tuo vultu nescio quid video lineamentorum nobilis Galli, qui in me Romæ [pg 132] anno proxime præterito explosit militariter catapultam suam, spectante et procurante Lampridio; nam tres adjuvæ qui eum comitati fuerunt et in me fodienda desudarunt, etsi firmi et robusti, haudquaquam me tam egregie oblectarunt.

*Octavia.* Quid portenti audio? Quatuor tu homines peregisti, tam tenera, tam venusta? Tibi sub hoc cursorum numero lumbi non disrupti?

*Tullia.* Scies alias; sed vis orationis me cursum tenere quam institui?

*Octavia.* Volo et rogo.

*Tullia.* Postridie, cum ingressus est domum nostram Lampridius, dixit se velle ire Callias in prædium nostrum Anconitanum rusticatum; nosti amœnitates, magnificentiam villæ. Cum diceret inter cœnam, respondit Lampridius se comitaturum libenter, si commodum illi foret: «Aperto enim,» inquit, «æris æquore plurimum delector. At cum tecum fuero,» reponit Lampridius, «nihil mihi rure poterit esse dulcius.» Septem continuos dies simul convixere, et ita Calliam cœpit Lampridii consuetudo, ut protinus omnes illi aperuerit animi sensus, et cogitationum arcana. Laudavit ingenium meum Callias, mores, urbanitatem; dixit præcipue me castitatis laude inter omnes mulieres lucere.—«Sed non ita facilis es,» ait Lampridius, «ut etiam si nolit caste vivere, quod futurum non spero, id tamen non egeris, ut pollui non possit. Confidendum sane sua de pudicitia uxori, dein ancillis, sed potissimum seræ; decipere potest uxor, corrumpi servi, nec corrumpi, nec decipi sera.—In tua [pg 133] sum quidem sententia,» inquit Callias, «ut fabricatur Stephanus aurifex craticulam quæ arci Tulliæ meæ extimum sit velut propugnaculum.—Sapienter huic tu rei curas tuas,» reponit Lampridius, «adjecisti; nam, verum ut fatear, æterno volo tecum et præopto jungi amicitiæ nexu; at, ut sumus omnes suspicaces, timebam ne si cum uxore tua agerem liberius, quod vix aliter fieri potest, id te in suspicionem abduceret, quæ tibi molesta, mihi infesta esset. Cum vero sera occluseris, nihil admodum erit quod timeas, quod suspiceris. Interim liceat per te mihi cras urbem repetere, postridie reversuro. Nam ex Venetiis datæ ad me litteræ crastina die afferentur a tabellione, eæ ad negotium magni momenti quod mihi explicent, magnopere conducant; ego vero cum res meas curo, tuas ago.» Sic post decimam diem venit rogatus a Callia, ut Stephanum urgeret, data ad eum et ad me epistola: «Nam ut scias,» inquit, «me mihi persuasisse te me esse alterum, rem secretissimam tibi commendo: nolit uxor ab ullo mortalium sciri de ejus me moribus dubitare, qui mihi liquido debent esse perspecti.» Ut ingressus est meum cubiculum, invenit me cinctam sodalium mearum corona, et in his lucebat forma et decore Sempronia. Salutat omnes humanissime, et redditis Calliæ litteris, catenulas aureas, opusque totum, intra tres quatuorve dies absolutum iri dixit. Reversus Lampridius, me cum Sempronia nactus solam:—«Bene est, Domina,» inquit, «intra paucos dies vinculum fingitur tibi, et aurea porta pretiosis [pg 134] distincta lapillis, horto tuo, quam pudicitia tua ipsa superbiat obduci suæ, ita lucet, ita diti fulget pretio.» Rem dehinc objicit nobis ob oculos diligenti pictura. «Sed,» inquit, «clavis non cusa est, et hujus figuram, dum fabrum variis ludo sermonibus, ceræ huic felici providentia impressi. Cæterum, ut optasti, Sempronia, felicem ambo ducemus vitæ cursum.»

Post enarrat qua arte, quove pacto in intimam se Calliæ amicitiam insinuarit, ita ut nihil jam eorum animis possit esse conjunctius.—«Te fortunatum,» inquit Sempronia, «hac duplici conjunctione, qua nihil est in vita beatius, animorum cum Callia, corporum cum Tullia! Felix amicus, felix amans, utriusque plena auctus es possessione, quæ possideri potest absque sollicitudine. Quæ tibi vero dulcior videtur esse conjunctio?—Dubitas?» ait; «respondeat ipsa Tullia.—Vana sim et inepta,» repono, «si quidquid meum putem vere dulce, et in me veræ voluptatis gustum invenire Lampridium posse.—Inveni,» subjicit, «et mens sit mihi saxea, cor aheneum, si extra amplexus tuos majores voluptatum fructus a Venere capere me posse arbitrer!—Abrumpamus,» inquit Sempronia, «urbanitatis vestræ hos sales, cœna nos expectat; ego vero cubabo tecum, Tullia, nam abest maritus meus.—Quid me igitur,» ait Lampridius, «factum vultis?—Nolo autem,» reponit Sempronia, «vexare animos tuos; omnia bene se habebunt.»

*Octavia.* Et cubavit tecum Sempronia, Lampridius [pg 135] inter utramque? Utrique forte insudavit?

*Tullia.* Nequaquam. Nam cum summa nox somnum suasit post cœnam, deductus est in cubiculum suum Lampridius, sed ipsa induerat vinculum pudicitiæ Sempronia, clavimque abstulerat secum Victorius, dum Veronam petit dicæ causa, socio ad iter adjuncto sibi Jocondo. Prima vigilia, ut constitutum inter nos, venit Lampridius, et in lectum se conjicit ab inferiori sponda; hac parte jacebam: «Quid tibi vis? quis est?» inquam.—«Tuus sum, Domina.» Osculum infert, et momento temporis conscendit in me nudam. «Nunc demum,» aiebat, «fruar omni pulchritudine tua.» Libere et libidinose vulvam manu investigat, et confestim telo obduro suo configit æstu incensam, primo ab ejus contactu, quem Veneri Mars afflat subigus. Denique, ut uno verbo ejus comprehendam noctis libidines et bona, ad duodecimum cursum veredum meum egit uno fere spiritu.

*Octavia.* O Venus! quid audio? Vix una Caviceus nocte tertium peregit concubitum.

*Tullia.* Septimum semel atque iterum confecit Callias cursum equitans in veredo meo; octo novemque cum Sempronia Jocondus. Sed nihil admodum est quod mirere de Lampridio: inexhaustus illi latet in lumbis Veneris fons. Nocte tu proxime sequenti fateberis.

*Octavia.* Dormiebat interea mater mea, et particeps ludorum et jocorum facta est?

*Tullia.* Anteacta nocte optime dedolata fuerat. Sex fututionum prurienti impetu eam Victorius illa [pg 136] nocte pulsaverat, ter vero pomeridianis horis ipsam Jocondus impleverat bonis suis.

*Octavia.* At vero, quid interea factum de infelici Julia?

*Tullia.* Dicam cum sciero quid de felici Octavia factum sit post ereptam virginitatem. Nam timeo tibi a Theodoro.

*Octavia.* Recte memoras, ah! ah! ah!

*Tullia.* Rides? Evanuerunt promissa, et oppressæ virginitati nullus honos, ut loquebaris.

*Octavia.* Non abierunt quidem in auras, sed incentivum factus est dolor pruriginosæ libidini, et accessio non pœnitenda dulcissimæ voluptatis.

*Tullia.* Ut voluptatis confinium est dolor, ita et doloris voluptas.

*Octavia.* Post tertium diem quam mecum cubaret Caviceus, admonuit de proposito et sponsione in manibus Theodori facta, mater. «Debes exsequias virginitati tuæ,» inquit, «parentandum illi est, quæ tam laudabilis et commendanda ad hanc usque ætatem tibi comes fuit.—Memini, mater,» repono, «et hoc cui me obligavi solvam nomen, cum volueris.» Quid plura? Convenimus Theodorum, qui jubet pomeridianis horis, cum primum sol inclinaverit ad occasum, reverti. Obsequimur; inducit me in sacellum interius ædis, et occlusis foribus, pessulo obdito: «Nihil est,» inquit, «quod timeas, filia, ab aliorum oculis tibi, nam antistes præsum huic loco; secure agemus omnia.» Tunc sermonem instituit ad firmandum et obdurandum animum. Obstipo capite dum loquebatur, [pg 137] et defixis in humum oculis, eo me ita sermone ad dura omnia comparavit, ut si mori me jussisset, alacri animo lethum oppetiissem: vide, Tullia mea, qua mens mihi arte fascinata est. Postquam me probe ad omnia quæ vellet vidit comparatam: «Etiam tibi,» inquit, «præibit mater exemplo, in hoc severæ sanctitatis stadio.—Nihil admodum opus est,» inquam, «sed quæ neci virginitatis meæ tam excellentis ultro consensi, in me convertere iram tuam, vir sancte.—Non patiar,» inquit mater, «te solam pati has ærumnas, nam etiam ego huic occisioni consensi.»

*Tullia.* Egregiam vero pugnam!

*Octavia.* —«Bene est,» inquit Theodorus; «cui autem generosius vigeat pectus mox experiar; præsto sis, Sempronia.—Commoda mihi tuam opem, nata,» inquit mater, «ut citius hoc defungar virtutis officio.» Solvo illi subteriorem vestem, cycladem et stolam; tollit ipsa indusium ad summos lumbos, et genibus ante aram flexis: «Noli parcere impuræ cuti, vir sancte,» inquit, «libidinis meæ campum lustra verberibus.—Cedo igitur illam pietatis supellectilem,» refert Theodorus.—«At vero, ex assuto cycladi sacculo oblita sum,» ait illa, «educere.» Igitur dum vestigat, dum in latus demittit corpus et vergit in lævam, curiosissimis omnem imam corporis structuram luminibus sum contemplata: illi candidissimæ nates, in tumorem Veneri commodissimum elatæ; crura crassa, polita. Nihil accuratius effinxisse Natura videtur, nihil pulchrius.

[pg 138] *Tullia.* De ejus parte nihil dicis.

*Octavia.* Pone stabam, ita videndæ vix copia fuit; vidi tamen. Accepto in manibus flagro, alacrem jubet esse Theodorus: tunc obmurmurans concepta nescio quæ verba, ac si næniam præcineret, verberibus onerat lumbos, nates et crura aversa. Parvas vero indulgens inducias: «Flecte corpus, et demitte quam

humillime poteris,» ait, «ut etiam, quo loco pollui te nuptiarum lex patitur, castigationem excipias quam mereris.» Recurvati lumbi exprompsere altius clunes, et interfemineum prodidere; conjeci in eam rem oculos: pilis obsitus locus subnigris, crispis, non admodum longis; rima aperta, longa, rubicunda. Huic decidit momento grandinosa flagellatio in flagrionem cunnum.—«Hei! hei! hei! deficio, siste tantisper,» inquit, «acrius feris quam ferre possim.—Insanis, Sempronia,» reponit Theodorus. Sub hæc verberationem durissimam integrat; in lacrymas illa effusa est et gemitus, immoto tamen situ corporis: «Erige nunc vero pectus,» ait Theodorus. Obtemperat, et illico evoluto supra umbilicum indusio detegit ventrem, crura, anticamque corporis faciem. Mirabar ego attonita, cum mutato loco transit dexterum miseræ latus lanio beatus ille...

*Tullia.* Imo laniandus carnifex! Quid præterea quærebat in quod acueret efferam illam crudelitatem?

*Octavia.* Audi... et eam partem tuetur ille limis oculis. At cum apertam et paratam vidit, nec mora, cœpit flagris cædere acerrime, tres quatuorve pollices infra umbilicum primis verberum momentis. [pg 139] —«Altius vapula,» inquit illa, gemitu edito. Direxit ad hæc ictuum tempestatem subtus alvum ad femina et interfemineum, ita ut hoc cruciatu misere angi testarentur lacrymæ manantes ubertim ex oculis. Demum rediit post eam hyemem serena miseræ tempestas, hic desiit verberum imber; humum osculatur, et vestibus adornatis, ad me respicit:—«Nunc, nata,» inquit, «tuæ partes agentur; transi in hæc quæ desero fortitudinis castra.» Solvit mihi vestem; quæ cum defluxisset ad pedes, indusium altissime mihi circumquaque revolvit, ita ut nuda oculis Theodori, et lanienæ, antica posticaque corporis membra objiceret. «Habebis te,» inquit, «fortiter, nata; quæ succedant momentaneis his ærumnis et interiori in pectore enascantur gaudia, ipsa senties, nec ego fando exsequar; nunc mitte te in genua.—Quam vellem,» inquam, «hoc officio ipsa fungerere, in eluenda me, mater! quæ mihi inflixeris verbera, feram sane ut tu tulisti, constanter et fortiter.—Id quidem fieri non potest,» reponit; «Theodori juris es ut sum ego, sed vis vinciri tibi manus?—Volo,» inquam, et ut volebam devinctæ mihi sunt, eo modo ut earum ope non uterer etiamsi eniterer.

*Tullia.* Pascebantur interea flore pulchritudinis tuæ Theodori oculi?

*Octavia.* Imo admoto ad aures ore, insusurravit agere et pati fortia, generosi animi esse.

*Tullia.* Sic agere et pati fortia, dixit Livius, Romanum est.

*Octavia.* —«Volo experiri utrum matrem fortitudine [pg 140] superes,» Theodorus ad me; «si obmutueris, palmam feres.» Post expansa vola alteram alteramque mihi clunem fovet; strictis dehinc duorum digitorum unguibus summam cutem tanquam forcipe apprehendit, et vehementer vulsit; tamen obmutui retenta anima, et exstincto imo in pectore gemitu. Dehinc e lanugine pubis, tres

quatuorve pilos, postquam pubem totam ad perinæum usque manu obtexisset ardenti et fervida, summis itidem unguibus arripuit, et simul momento avulsit; nec propterea me tangi testata sum doloris sensu.

*Tullia.* Fortis es, Octavia. Quid Cato ad te? Eodem autem supplicii genere appetita est mater tua?

*Octavia.* —«Evolve vestes, Sempronia,» ad eam Theodorus, «revela excetram illam tuam,» inquit. Dicto citius nudas admovet clunes. Ille adfigit ungues; intremuit, et femur alterum tulit in altum, dolore victa; nihil tamen locuta est.

*Tullia.* Hæc prima fabulæ pars; altera est quam exspecto de barbato Cincinnato.

*Octavia.* Replicat vestem et indusium qua pars bona latet; objicit uterum pulchrum, politum, niveum Theodoro; Venereum campum lana vestitum, ut dicebam, spissa, crispa, venefica aperit. Ille aliquot intercipit pilos, una omnes vellicat, post, vi impressa, divellit.

*Tullia.* O rem ridiculam, et ludo prægnantem non inficeto!

*Octavia.* Infrendere illa præ dolore, nec ideo verbum aut gemitum emisit.

[pg 141] *Tullia.* Expedi tandem hanc narrationem.

*Octavia.* Vapulavi, flagro proscissa sum, nec elapsum mihi ex ore verbum aut e pectore gemitus, qui ignaviam exprobraret: post Penates repetimus. Ah! ah! ah! jam attingebam ostii limina, cum mater ad me: «Ut te habes, nata?—Doleo, mater,» respondeo.—«Momento faxo,» inquit, «dolorem excipiat voluptas deliciis affluens; mihi quidem, mihi sentio nates et femora veluti formicis pererrari; num tibi idem quasi æstuantis impetiginis ardor?—Plane ita est,» inquam, «subsultant mihi sub cute innumeri obtusæ cujusdam ægritudinis pruritus, potius quam acumina, et incendi me sentio.—Vertentur hæc omnia,» reponit, «qualiacumque tandem sint, in gaudii inexhausti fontem,» et me induxit in cubiculum meum. «Projice te in lectum,» inquit, «finge animi ægritudinem quam non habes, mox mitto ad te Caviceum tuum, sed volo ludi hujus qui vos committet, postea abs te reddi rationem.» Paulo postquam abiit, venit ad me Caviceus. Projectam in lecto amplectitur, suaviis mulcet, tactu irritat ad gaudium:—«Audio,» inquit, «tibi male esse?—Et pessime est,» repono; «nam audio te mihi subirasci. Quid vero erroris aut delicti admisi in me?—Pura es sane ab omni in me delicto, corculum,» inquit, «me gaudiis hactenus cumulasti summis, summam tuis in amplexibus inveni felicitatem; si de te conqueror, nihili sim, in qua scilicet omnes delicias, omnes amorum cupiditates nacta est mea mentula.» Hæc fatus educit e medio [pg 142] femore mentulam, manum adhibere rogat turgescenti, et momento post adsilit in lectum, et demissis femoralibus, detectoque ad zonam usque mihi utero, provolvit se in me; infixit protinus hastam, ac illico ad primum concussum, profluit mihi largus abundans e lumbis Veneris imber. Moriar, mea Tullia, si unquam ea sit visa res sensibus meis gratior! Uno verbo omnia: hac

coitione, ter mihi litatum est Veneri, continua titillatione, aperto mihi ad opus gaudii summi gurgite. Cum vero Caviceus ad metam pervenit, libidinem in me meam aqua sua pluvia non restinxit, incendit novam, et cum exscendisset, uri me patrantes ocelli docuere. Manum admovit horto meo: hoc tactu soluta sum inani Veneris imagine.

*Tullia.* Rem mirifice narras, nihil tamen novi in his rebus. Nam verberibus incussis eliciuntur ex omni corporis parte quæ conducere solet ad Venerem, infinitæ spirituum alacriorum, vegetiorum, igniculis fervidiorum compactis velut cohortes, quæ dehinc in locos nostros, in vulvam, in spermatica vasa, quod consentanea sint, sponte advolant: hinc pruritus, et inflammatæ Veneris libido. En quod tibi pro miraculo queat esse: dux nostra Leonora, tam celebri stemmate clara, tanta fulgens pulchritudine, tot animi corporisque dotibus præcellens, verberibus debet fœcunditatem. Dux maritus deperibat puellam, nullam tamen ex ea procreabat sobolem, quod ægerrime ferebat. Tentata quæ ars aut industria ostentant omnia, nullus experimentis locus negatur; lusa ars et industria, profuit nihil. Tandem [pg 143] ex Arabis responso, cæsa ut tu es virgis Leonora parentis suæ manu. Ad hanc diem nullam ex Venere ceperat voluptatem; hoc vero temporis momento, cum primum ad eam explosit Dux catapultam, vehementissime mota est. Lacessiti iterum verberibus lumbi, clunes et femora ad Venerem incensi, post aliquot dies; tunc parum abfuit, quin sub marito subagitante deficeret, præ voluptate in effluvium mirabile soluta est. Tandem parvo temporis interjecto spatio perpessa idem incentivi genus, magna cum voluptate maritum excepit, et rigidæ caudæ salaces ictus. Imprægnata est uteroque gerit. Sed et audio esse nostros inter homines Alphonsum marchionem, quem verbera excitant ad pugnam, alioquin imbellem et ignavum. Virgis cædi sibi nates jubet, vapulat egregie, prostat interim illi uxor resupina in lecto; dum vapulat arrigit, et quo acriores ictus, eo tentigo vehementior. Cum parata sibi videt arma, aggreditur jacentem, et rapidissimos ciens in substratam motus, perfundit in subantem cœlestia Veneris dona, et omnes quæ ex Venere capi possunt capit voluptates.

*Octavia.* Sed vero si experta ipsa esses, quam non putem fore tibi admirationem!

*Tullia.* Non experta quidem sum; sed experiar et etiam sequenti nocte proxima. Nam volo te frui Lampridii mei amplexibus, qui jam per octo dies rure detentus cum Callia ferias a Venere agit; sed dedit ad me literas, quibus se crastina die monet adfuturum, Calliam velle ad se eam ego, quum negotia [pg 144] nescio quæ illic habet a quibus se nondum expedire possit.

*Octavia.* Videbimus. Sed oblita es de Juliæ nuptiis, cum devirginata est, referre quæ a matre accepisti.

*Tullia.* Hæc sane sunt. Scis nuptias velut clandestinas fuisse; aberat pater tuus, acciti ex affinibus nulli, intro res acta est, ut in fabulis Veterum legitur,

nullis inspectantibus. Nam antequam Sempronia novam duceret nuptam ad genialem thorum, taurum passuram, implevit mollem animum malignis consiliis. Quæ dixerit, quæ jusserit dici fierive, quæ utique et dixit et fecit inepta, intelliges. Ascenderat in cubiculum Juliæ Jocondus, nam illic res patranda erat, et exhaustis a Semproniæ viribus arma interrogabat virilia, an satis esset ad pugnam animi. Advenit demum Sempronia, et Juliam nexui tradidit.—«Enimvero,» inquit, «volo vestibus nudari a me Juliam, Joconde, tibi.» Denudat suis manibus puellam relicto indusio, vix tuentem pudorem ab oculis Jocondi. Mox abiit Sempronia: «Vos vobis relinquo,» inquit, «agite res vestras.» In proximum secessit cubiculum, e quo in id prospectus patens datur; nam ostium hiscebat ut et Juliæ. Illico advolvitur genibus Jocondi Julia, id scilicet edocta. «Facilis tibi ero,» inquit, «et omnibus tuis voluptatibus obsequens dum vixero. Si secus contigerit, plecte sontem.» Osculatur ille, et erigit puellam.—«Exue autem indusium,» inquit, «corculum.» Sed cum vidit ad hæc vultum rubore suffundi, ipse erubescentem et pavidam exspoliat. [pg 145] Ubi defluxit ad pedes indusium, evertit in lecti latus resupinam, mammas parvas, duras, orbiculatas, candidas, sororiantes, manibus terit, et osculis premit; post pectus, ventrem, crura oculis legit, ac demum cogitationem et obtutum in Veneris hortulum defigit. Ut sibi eam partem tractari, premi, diduci labia, digitum immitti sentit rudis puella: «Eh! eh! eh!» clamabat, miscens clamori gemitus et suspiria.—«Nunc,» inquit Jocondus lectum ostendens, «colloca te in hoc duelli nostri campo. O venusta membra quæ me cupidine inflammant!» Illa obtemperans mittit se in lectum; hoc aspectu ignescere cœpit et turgescere salax cauda; igitur ad latus puellæ fudit se Jocondus: momento Julia pulvinum suis subjecit natibus non rogata, femina quam potuit latissime aperuit et, quod rideas, ipsa ultro injecit manum in viri penem. Ille in risum erupit.—«Quid hæc novæ Veneris facies indicat mihi?» ait. «Agedum!» et dicto citius intra puellæ femina se mittit pronus; illa clavum manu non amittebat, ac ipsa dirigebat in se ruentis mentulæ cursum, in fissuram suam ultro pilum figens; post tollit crura altius, ita ut talis pertingeret nates. Sic ad Venerem ipsa se composuit. Etenim cum sensit summum mentulæ caput intra cadurda esse immissum:—«Amove nunc manum,» inquit Jocondus, «cætera ego peregero.» Ambas illico manus Julia in superequitantis lumbos injicit, et arctissimo amplexu; sed Jocondus, cujus mentula tentigine rumpebatur, totis viribus torsit in intima contum, vi sibi viam aperiens, [pg 146] quo nulli hactenus libidini fuerat. Illa clamorem misit, nec tamen situm mutavit corporis, et tertio quartove concussu in abditiora Veneris adyta intrusit se fervida felixque mentula.

*Octavia.* Agnovit in virgine illæsum pudicitiæ decus Jocondus? Sensit nullis inquinatam fuisse amplexibus?

*Tullia.* Agnovit ut nostri homines solent, quibus in primis coitionibus plerumque de virginitate virginibus fides.

*Octavia.* Verebar ut quæ se ipsa patrandæ rei accommodasset, id ei fraudi esset.

*Tullia.* Intellexit facile Jocondus manasse has artes a Sempronia; ac postquam primo hoc concubitu uxorem Juliam sacrasset:—«Quid vero,» inquit, «Julia mea, te tam doctam judicasset? Profecto me in admirationem ingenii tui traxisti, cum mea arma ipsa in te fixisti, quibus lethum pudicitiæ tuæ conscisceres, cum me es amplexata, cum vibrasti clunes tam frequenti motu, crispantibus, crissantibus lumbis; cum voluptatem testata es suspiriis ignitisque tuis eheu! eheu!» Illa vero silebat: «Age, age, eloquere quæ tegis hoc silentio tuo,» aiebat Jocondus.—«Non ausim,» inquit Julia, «sed hæc omnia, ut accepi, fieri debent, et solent etiam a pudicissimis, ut ego sum.—Quis vero,» reponit Jocondus, «dixit fieri solere?—Noli,» refert Julia, «extorquere id a me ut fatear.—Volo vero dicas,» adjicit ille; «ni dixeris, non ita judicabo puram, ut ais esse.—Sed, amabo, ne alteri unquam dixeris,» ait Julia, [pg 147] «quæ me tibi vis dicere. Monuit Sempronia, talem me præstare tibi, ex officio et munere meo esse, et sacramento adegit pollicerer me facturam.—Bene est,» inquit Jocondus. «Cave vero tu ne subodoretur te mihi id secreti revelasse.» Interea omnia et audiebat et videbat Sempronia, quod utrumque fallebat.

*Octavia.* Qua spe illusit puellæ credulitati tam maligno consilio?

*Tullia.* Nempe sperabat inde futurum ut puellæ mores tanquam liberiores suspecti Jocondo fierent, sed de his neutri ne verbum quidem fecit hactenus.

*Octavia.* At enim quam institueras non perfecisti narrationem.

*Tullia.* Ut omnino implevit puellæ vulvam crassa et obdura mentula, in eam ad coleos usque inducta:—«Me crucias,» ingemuit Julia, «parce! parce!» Ille interim crebris subagitationibus urgebat; dum vehementiores se in concussiones fundit: «Oh! oh!» inquit Julia, «præ voluptate morior; perge, perge, preme, impete fortiter, adige altius telum!»

*Octavia.* Ah! ah! ah!

*Tullia.* Scilicet id consilii dederat Sempronia: «Cum primum te, Julia, aliqua tangi titillatione in illis locis senseris, testare majorem etiam sentire quam vero senties, voluptatem. Urge maritum verbis, osculis, suspiriis, motitationibus. Sin minus, stupidam te et saxeam credat, quod nolim, qui meus est in te amor, accidere.» Igitur ad primam pruriginem, puella intacta et cujus in locis [pg 148] ingens seminis genialis ardebat vis, cœpit nates vibrare, succutere quanto poterat impulsu Jocondum, quem incredibili voluptate perfudit. Nec sane Juliæ minor delectatio; nam per longas concitatasque motitationes, tandem in profluvium Veneris dilabi se sentit: «Hei! hei! hei!» exclamat, «quid hoc est rei? Quid sentio? deficio.» Hæc dicens obmutuit, velut mota mente ingemiscens, contremiscens. Manum Jocondus vulvæ languentis admovet, et extracto, ita ut caput tantum intro lateret, pene, invenit infectum liquido Veneris contagio, nec adhuc

ipse evomuerat in vulvæ Juliæ sinum libidinis suæ virus. Tunc impellit hastam, concutit, premit, nec illa movebatur; substitit tantisper ille.—«Quid vero is sibi vult stupor tuus, Julia?» inquit, suaviis labia rosea lacessens.—«Sane deficio,» respondit, «me voluptate tanta implevisti, ut ad cumulum felicitatis meæ nihil addi præterea posse arbitrer, præterea nihil.» Integrat ille concussiones. «Jam apud me non sum,» aiebat illa, «ita me hæ confricationes ad Superos tollunt!» Et ipsa demum commoveri denuo cœpit, et subare, subsultare, donec se fervido rore intro sentit irrigari: «Ah! ah! ah!» exclamabat, «quid etiam istud est?» Utraque Jocondus manu ad se admovebat puellæ nates, præsto illa uterum et lumbos altissime sustulit; interim exstillabat in ejus concham igneus Jocondi tubus. In eam imo versa est amentiam, ut, cum deplueret prolificus humor stillatim, manu injecta virile telum caperet, exprimeret, emulgeret, ne quid omnino sibi ex tam dulci deperiret [pg 149] munere; testiculis Jocondi molliter compressis, quasi foveret, penem egregie emunxit, ut ne guttula quidem exciderit, cum eductus est e vagina.

*Octavia.* Tam longo certamine non fracti sunt delicatæ puellæ artus? Sed vires amor, et amoris comes voluptas suppetebat.

*Tullia.* Uno præterea concubitu ad lucem recreata est Julia; is vero primus duorum triumve loco fuit. Alter, ut ipsa fassa est, minorem in ejus venas voluptatis sensum infudit: nam post sextam septimamque decussionem, recluso rivo ex Jocondi lumbis Venereum virus, cum primum Julia exorienti inciperet pruritu æstuare, depluit, nec ad Veneris metas perducta est.

*Octavia.* Nocte tamen sequenti, ut refers, bis in ejus effusus est complexus Jocondus?

*Tullia.* Sed soluto prius beatæ matris tuæ vulvæ stipendio ei meret; itaque integris non est potita mariti lumbis, nisi bis alterum abhinc mensem.

*Octavia.* Nam expresso a matre prioribus amplexibus Veneris succo, quod superest, fæx tibi videtur et lutum.

*Tullia.* Mense altero post nuptias, dum ludit cum Sempronia Jocondus: «Vis me patrem fieri, Domina?» ait.—«Volo,» respondet illa.—«Qui vero potero,» reponit, «ni per te liceat semine fervido et vivido impleri Juliæ arvum? Permitte me ter eam inire, et integros volvere Cupidinis fluctus in ejus intimum sinum. Et sane misera sævos satis, et scio, labores exantlavit: nam scio quam male exceperit insontem Theresia amita tua, [pg 150] quod libidinosiorem putes quam est.—Permitto,» inquit Sempronia, «sed ea tamen conditione, prægnans tibi fiat; quod fingetur in lumbis tuis semen his octo sequentibus diebus, volo tribus coitibus una nocte in eam effundas, colliquescens in Diones tuæ amplexibus.» Igitur octava, ab ea die, nocte, soluto pudicitiæ vinculo, reducta cataracta a puellæ ostio, libere inspersit puellæ hortum fertili imbre. Atque ex his temporibus putat Sempronia utero Juliam concepisse: nam aliquæ imprægnationis notæ in puellæ ore et nausea apparent.

*Octavia.* Moriar, ni pessime Theresiam oderim, quæ indigno cruciatu tam liberalem et ingenuam puellam vexaverit!

*Tullia.* Moriar itidem ego, ni adversus matrem tuam sævitiam illam vitio verterim! Nam ut sibi persuasit ipsa, puellam uri libidine Veneris et cupiditate, Theresiam convenit. Significat se timere pudicitiæ Juliæ, quod minus pudicam præsentiscat; opus illi esse severiori medicina, qua nimirum in bonæ matrisfamilias officiis contineatur; cavere oportere ab adolescentiæ æstu et insidiis. Rogat mitti ad se Theresia, mittitur; sed prius exsoluto e lumbis pudicitiæ vinculo, quod custodiendum Semproniæ datur. Suscipit Theresia alumnam alacri vultu, dat epistolam ad Jocondum, petit eam sibi relinqui per tres dies: velle se puellæ, quam aluit, quam edocuit, aspectu ad satietatem frui, qua tandiu caruerit. Post multos sermones petit a Julia, num velit probare se esse et esse vere purissimam. Respondet illa, velle.—«Igitur,» inquit, «his tribus diebus jejunio macerabis [pg 151] corpus, et flagris a me cædi cupies.—Faciam quod volueris,» reponit Julia, «pensi esse mei quidquid jusseris ducam.» Itaque prima die vapulavit, sed leniuscule, secunda acerrime, tertia non ita dire, atque sic emendata remissa est domum cum sol occideret. Aberat domo Sempronia, aderat Jocondus, qui ut lepidam advenisse sibi uxorem vidit, in ejus advolavit amplexus. Renidens illa: «Regredior,» inquit, «ut castam decet, tui avidissima.» Post brevem collocutionem inducit eam in thalamum suum; enarrabat illa quæ sibi contigerint omnia. Deflet infelicis sortem Jocondus, solatur, spondet se in posterum illi diligentiori cura invigilaturum, ne quid deinceps detrimenti aut ærumnæ patiatur. Post suaviatur, et missa sub stola manu gaudet pudicitiam non esse occlusam vinculo desideriis suis. Projicit resupinam in lectum, et plenis coitibus tribus, trium dierum ab ejus animo obliterat memoriam et perpessi doloris.

*Octavia.* Nescit mater, nihil subirata est Jocondo?

*Tullia.* Nihil sane; ne quidem suspicione assecuta est. Nam paulo antequam ingrederetur domum evaserat Jocondus, ac postea regressus salutavit uxorem ac si non vidisset hos tres ante dies.

*Octavia.* Matrem sane insalutatam non reliquit?

*Tullia.* Esse dixit Juliæ, quod secum communicaret Jocondus de negotio quod illi confiderat expediendum. Egressi uterque cubiculum petunt Victorii, jussa interim Julia dum reverteretur maritum exspectare.—«Tu putas,» inquit Jocondus, «velle me Julia mea amplexus tuis anteponere? [pg 152] Volo in te perfundere quidquid in me libidinis est.» Osculatur, tractat, arrigit; tollit ipsa vestes et indusium, ut solet, amplectitur ante se stantem, telum vibrantem, et recidens in lectum pugnam molitur. Uno ille impetu infligit in vulvam mucronem teli. Quid plura? Res peragitur; post revertitur ad uxorem Jocondus cum Sempronia. Sedebat in lecto Julia, quam aggreditur sermone Jocondus:—«Volo, Julia, hæc domina nostra noverit qualis sis, quam casta et pudica. Volo etiam ab ejus manibus pu-

dicitiæ vinculum hoc induas; testem habebis pudicitiæ tuæ opportunam tibi et mihi.» Laudavit Juliæ virtutem Sempronia, ac animi in hac obeunda re alacritatem. Juliæ vero pars ludicra in vincula missa est. De tua vero, Octavia, nocte proxima experiar an sit ludis tam apta omnibus quæ Venus novit, quam Veneri forma et venustate similis es.

*Octavia.* Faciam, spero, ne tu diutius dubites, ac magna cum sua voluptate sentiet Lampridius me fontem esse dulcissimi gaudii.

# COLLOQUIUM SEXTUM

VENERES

*Octavia, Tullia, Lampridius, Rangonius.*

Octavia. Voluptates hujus noctis quam suaves futuræ sint, persuasisti intimis medullarum mearum sensibus, pruriginosa hac tua oratione.

*Tullia.* At enim duplo majores capies quam potui polliceri libidini tuæ procaci, quidquid pollicita sim.

*Octavia.* Scilicet aderit cum Rangonio Lampridius, et nobis ambo militabunt?

*Tullia.* Tibi sane uterque pugnabit.

*Octavia.* Apage! Paucas post horas rumperent veredum meum equisones hi tam acres.

*Tullia.* Apage, inepta tu! Una belle sufficies duobus; et experta fatebere etiam præ te Heroas esse nihili.

*Octavia.* Non faciam, cognata, non faciam. Putas me tam salacem? Ego voluptatibus tota nocte perfunderer? [pg 154] Dearum cibo ingurgitarer? Tu nihil gustares oblectamenti? Apage, apage, non faciam.

*Tullia.* Utcunque se res habebit, feres; tu facies, tu facies. Vide: «superanda tibi omnis Veneris fortuna ferendo est.» Vide.

*Octavia.* O! o! fores obduxisti tuas cataracta illa improba? Quid de me futurum speras, si in partem non venies laboris? Quum mihi tam bene cupias, male habebo.

*Tullia.* Macte animo; peregi ego quatuor, times duos?

*Octavia.* Sed duo illi viribus præstant, et inexhausto libidinis rivo superant. Ais Lampridium in stadio tuo duodecim solitum esse conficere curricula. De Rangonio loqueris quæ non longe absint a portento. Non sufficeret Cotytto duobus una.

*Tullia.* Narravit de Rangonio quæ superant omnem futuentium fidem Lampridius. Scis esse familiarissimos.

*Octavia.* Quæ narravit? Nunquid etiam venit tecum in certamen?

*Tullia.* Cum esset nudiustertius ingressus hanc urbem nostram, adduxit hospitem ad nos Lampridius non dedignante Callia. Vide humanitatem: etiam amore meo inflammat; dein insana furentem cupidine ostentatione promissorum solatur. Brevi felicitatis summæ qua frueretur, ut loqui solet, dicit fore participem. Bene sperare jubet. Paciscitur, inconsulta me, Venerem meam.

*Octavia.* Nec subirata es?

*Tullia.* Dic ipsa tibi. Irata sum, et iram acerbe [pg 155] testata. At ille, ut animi motus componeret: «Ignosce,» inquit, «Domina mea, Regina mea, Dea mea, facilitati meæ. Scio, per te non stabit quin exsolvam fidem meam. Vidit te Rangonius, et misere perit. Videram ejus cognatam Neapoli, et misere peribam. Ejus se finxit amore incendi ut meo faveret. Convenit cum ea: induxit me in puellæ cubiculum: nocte fruor cupita Venere, dum se credit Laura (id ei nomen) Rangonii indulgere amplexibus. Num debui tanti esse memor beneficii? Ignosce, Regina mea; dum sequor officium, eam in offensam inopinus incidi.»

*Octavia.* Quid tu ad hæc?

*Tullia.* Emolliit durum animum vox amantis.—«Quid me vis facere?» repono. «Num te pudet me in id devolvi dedecoris, quæ tua sum?—Sed enim,» inquit, «huic uni tantum culpæ succumbe; sine te amore Rangonii et Lampridii tui precibus flecti. Nihil tibi a me time in posterum, nihil continget quod gratum, quod honestum non sit.» Consensi, sed:—«Lampridi,» inquam, «nosti Octaviam?»

*Octavia.* Ut tu Lampridio, est quod ego succenseam tibi.

*Tullia.* Tace, inepta. Aperui mentem: scilicet de te in ejus amplexu mittenda. «Quam te bearem!» dixi.—«Sed ego et Rangonius interim,» reponit, «rumpimur tentigine. Si differri velis id gaudium ad tenebras, resolvemur uterque ad speciem ecce tuam quæ nos urit. Concede saltem unam utrique felicitatem.—Quid honoris,» refero, «accedet [pg 156] nomini tuo, si me dehonestaveris alieno concubitu? Tu quidem utere jure tuo.» Exorari ea demum conditione me sum passa, scilicet ut Rangonio ad cursum unum aperirem stadium

meum et Cupidineum agonem, ultra nihil datura. Velle integrum nec exhaustum in sulcum tuum agi utrumque.

*Octavia.* Ut venient integri ex tuis amplexibus?

*Tullia.* Hæc res in hortis nostris agebatur, in quos prospectus nullus nisi e cubiculo meo; clausa vero et tuta omnia. Exspectans quid proficeret sodalis, non longe deambulabat Rangonius, spectabatque identidem me ignescentibus oculis. Tunc ad eum Lampridius: «Immortales pro cœlesti munere redde gratias Tulliæ,» inquit, «et ad summum bonum veni.» Ita sum a natura comparata ut ab omni longissime absim impudentia. Ubi propior factus, erubui: ille vero osculum dedit. Impudentiam ipse suam accusavit, et excusavit. Dum loquitur, specum illam frigoris captandi causa ad horti angulum structam jam intraveramus, et nobiscum Lampridius.—«Est quod te scire velim, Domina,» ad me Lampridius, «tuaque interest sciri, Rangoni.—Quid vero istud est?» ait Rangonius.—«Suspiriis, osculis,» reponit Lampridius, «et crispantis lumbi furoribus loquetur mox ipsa tibi Tullia.—Te immo Venus perdat,» refero, «nugarum artifex solers!» Me manu extra specum extrahit:—«Ignosce, Rangoni,» ait, «mox reddam æque tibi puram ac nunc est. Nolo eam ab oculis tuis fugere, quæ oculorum tuorum meorumque lux est. Paucis volo.» Tunc ad me:—«Nescis, [pg 157] Tullia, quem habitura sis equisonem. Neminem unquam mortalium fassæ sunt puellæ et Romæ et Venetiis, quibuscum rem habuit, tam abundanti Venerei imbris copia muliebres sulcos irrigasse ac Rangonium. Quod Hieronymo Mercuriali, postquam omnia quæ de eo dicebantur diligenter exploravit, pro miraculo fuit, non tantum stupori.»

*Octavia.* Interea quid Rangonius cum œstro, cum furore, cum mentula sua?... Ah! ah! audio nescio quid strepitus; veniunt. Ut timeo! ut pudet!

*Tullia.*

O Hymen, o Hymenæe! Hymen ades, o Hymenæe!

Ecce Lampridium. Quid vero solus, Lampridi? Quid de sodali actum?

*Lampridius.* Apud Mendozam, urbi præfectum, virum bonum et comem cœnavimus. Detinet Rangonium multa super ejus rebus, parentibus et affinibus rogitans, et seria, ut est ingeniosæ urbanitatis, ridiculis miscens. Ipse secessi amoris æstu, qui me, dum de vobis cogito, cepit, in rabiem versus: quam Octavia curet, si me velit sanum et suum. Quid taces, Octavia?

*Octavia.* Pudore, Tullia mea, sepulta mihi mens audaciam adimit, verba negat.

*Lampridius.* Osculum etiam negas? Me miserum!

*Tullia.* Agedum, Octavia, quid refugis? Lectus hic vix nos quatuor, cum venerit Rangonius, stipatos [pg 158] capiet: nulli præterea locus, ne quidem pudori. Projice hanc a te amentiam, fatua.

*Octavia.* Quid me, fatua tu, dejectis operimentis nudam aperis Lampridii oculis?

*Lampridius.* Quam venusta, quam tenera membra!

*Tullia.* Volo, Octavia, te putes me esse alteram. Rumpitur Lampridius; num te miserebit miselli?

*Lampridius.* Fave, Tullia, fac patiatur Octavia se amari, et pulchritudinis juventutisque suæ florem me legere. O corpus Venereum!

*Octavia.* Abi, abi: jam vociferor si ultra tentes.

*Tullia.* Quæ te tenent intemperiæ? Sana es? Jam per Deam Pertundam! si amicum nolueris Lampridium, habebis me inimicam.

*Octavia.* Interim et mammas, et pectus, et omnia corporis membra manu Lampridius ille tuus impudica conscelerat.

*Lampridius.* Quam apte hiat tibi Veneris concha! quam commodo situ pars prostat ludicra! quam molli obnupta lanugine!

*Octavia.* Eh! eh! quid agis? Jam me occupas totam. Quid propudiosa faciam post id flagitium?

*Tullia.* Amplectere Octaviam, Lampridi; tu Lampridium, Octavia. Nonnullæ erunt meæ partes in hac fabula: manu hac virile spiculum dirigam in fœmineum scopum. Bene est, intro haustum est totum: ut bene altera pars alteri convenit! Nunc lateri ne parcas, Lampridi.

*Octavia.* Quid vis? ut me opprimis! ut agitas! ut [pg 159] pulsas! Tolle manum, Tullia; quid me vellicas? Oh! oh! oh!

*Tullia.* Tolle tu nates. Tolle, inquam, tolle altius. Succussus itera spissos, crebros, vehementes. Belle! belle!

*Lampridius.* Si te transfigi gaudes, Octavia, fige osculum.

*Octavia.* Gaudeo!... gaudeo!... morior! Ah! ah! Facione satis voluptati tuæ, quæ mihi est summa voluptas? Vis succutiam vehementius? Faciam ut maxime potero.

*Tullia.* Fac igitur, nihil nugis opus. Mirabiliter! Quam mobiles, quam leves tibi lumbi! Tractabo interim, Lampridi, pruriginosos tibi globulos; sollicitabo leni tactu ad officium et spumam.

*Lampridius.* Ut me beatis utraque! ut voluptatem meam pascitis, tu tuo nectare, Tullia! tu tua ambrosia, Octavia! En! en! Nunc, nunc, Octavia, tolle, tolle lumbos. Acriter, acriter!

*Tullia.* Langues, Octavia, langues?

*Octavia.* Sentio!... sentio!... Ut fervida urina hæc! ut rapido fertur impetu! Osculare, osculare. Jam et diffluo ego... Distillant mihi Veneris venæ. O! o! sentio Jovis cum Junone concubitum. E cœlo venit hæc voluptas. O! o! fundum!... deficio!... fundum!... deficio.

*Tullia.* Quid garris balbutiens? Fundum alvei tui tetigit Lampridii anchora?

*Octavia.* Tetigisse credidi. Sed jam deficit Lampridius, abit, anchoram solvit. Patere tamen, Lampridi, te osculer iterum atque iterum; te basiationes [pg 160] meæ vorent antequam exscendas ex veredo meo.

*Tullia.* Vis forte, salax, novam ad pugnam exsanguem nervum et viribus defectum excitare? Non ita erit. Ad Rangonium redi, ne quid de te nobisque suspicetur parum pudici.

*Lampridius.* Revertar, ut suades, ad sodalem. Hanc fingam tantulam egisse moram cum præfecti consobrino Frederico.

*Tullia.* Sed quam bene te habuit Octavia? Ut voluptati visa est apta?

*Lampridius.* In ea inveni omnino nihil quod ad te proxime non accedat, Tullia mea, quod meram putamque Venerem non sapiat. Sed de his postea. Valete.

*Octavia.* Quas vero reddam tibi gratias, Tullia! Nunc vere scio quid sit Venus, ita me libidine implevit. Pili præcipue titillavit longitudo, nam crassitudine Cavicei longe cedit temoni. Vere omnia gustavi Veneris bona.

*Tullia.* Quæ dicebam de Lampridio invenisse te vera, oppido gaudeo.

*Octavia.* Vidisti ut de thoro lætus desiliit, ut osculum dedit, molles natibus impegit alapas? Te beatam, cui ludere ejus in amplexibus cum libet, licet! Sed te etiam incredibili num affecit Rangonius voluptate?

*Tullia.* Ad eam igitur, quam institueram, narrationem redeo; nam et velle videris, et gratissimus mihi quoque hic sermo.

*Octavia.* Quo me scilicet in meliorem vocabis deliciarum tuarum partem.

[pg 161] *Tullia.* Ut inter animalia homo, sic inter homines Rangonius abundat seminis copia. «Moneo,» dicebat Lampridius, «ut opportuno cures corporis situ, nihil tibi depereat. Nam pro summa mihi est voluptate summa te perfundi.» Sub hæc abscessit.

*Octavia.* Quid postea?

*Tullia.* Citato venit ad me cursu Rangonius. «Nihil te,» inquit, «libidini meæ eripiet.» Manu prehendit; ad angulum, ubi, ut scis, thorus, trahit volentem nolentem. Alteram mittit in sinum manum; Veneris sedem altera detegit reductis ad zonam usque vestimentis. Mox solvit ipse subligaculum sibi, apertis coleis.

*Octavia.* Fuscinam vidisti, cum fuit in procinctu, magnam, rigidam, Heroe et te dignam?

*Tullia.* Qualis est fere Lampridii, adeo nullo, quod perceperim, differunt discrimine. Undecim duodecimve pollices latos in longitudinem fusa.—«Jam jam remittor,» dicebat; «commoda amori meo amorem tuum, Domina.» Sensim interim sine sensu dilabi me in thorum passa sum. Ille effudit se in resupinam, et primum, levi excitavit unguium impressione in pube igniculos, et proxime in eo, quod perinæum monui vocari interstitio, ubi ardentiores Veneris prurientis faces.—«Age, age.» dicebam, «abscede; illudis mihi. Quid me incendis jam tuo amore inflammatam?—Ergo accipe,» ait, «quicquid id est amoris mei,» et mo-

mento impellit in libidinis venam spiculum. Ut sensi:—«Male,» exclamo, «male me habes malus.» Audiit Lampridius, et accurrens;—«Cave, Tullia,» [pg 162] inquit «ne e proximo vico secundum hunc murum tua vox exaudiatur. Cui non cognita honesto? Contine vocem, lumbos non contine.»

*Octavia.* Vidit pugnantes in hac palæstra, et continere ipse potuit a risu, ab eoque furore, qualem nuda movet Venus?

*Tullia.* Vidit, et cum insistere lævum mihi pedem humi videret:—«Volo utrique,» adjicit, «amicæ curæ officium impendere.» Sellam subjicit; altiusque hoc pacto sese in uterum penetravit impressa mentula. Aperta manu ridens alapam inflixit natibus Rangonii, et exiit e cella.

*Octavia.* Ah! ah! ridiculum spectaculum! ridiculi vos uterque, tu et Rangonius!

*Tullia.* Tantisper substitit immotus.—«Amplectere me,» ait, «regina mea,» nam elanguebant artus desides: complector. «Ante tres menses,» subjicit, «nulla me vidit Venus, nulla impatientiam libidinis solata est puella dulci effluvio. Sed, ut scias, vix inveneris, qui, ut ego, tam abundanti hortum tuum irriget salsa pluvia.»

*Octavia.* Impresso calcare, poterat et poteras cursum sustinere?

*Tullia.* Cœpit vehementius subigere, ad sextam septimamve concussionem fervido me intus imbre diluere. Stillantis vis veretri tantum mihi iis in locis concitavit pruritum, ut temperare non potuerim quin motus cierem fervidos.

*Octavia.* Ne scilicet quam Lampridius marmoream [pg 163] a candore vocat, saxeam crederet Rangonius, si stuperes frigida et hebes.

*Tullia.* «Video cœlos,» dicebam amens, «video cœlos apertos;» et illico semen emisi recluso fonte. Sensit me resolvi: concitatiori æstuans opi fuit subagitatione. Mistum est semini semen; nam et ipse resolutus est. Sed quater ego largo fluctu remissa sum, cum, continua ille ignitæ libidinis ejaculatione, omnes meis in lumbis omnium prurituum irritat nequitias. Tandem palæstræ finis datus. Fateor, Octavia: tanta nunquam deciduæ vis voluptatis uno concubitu genitalis arvi furores restinxit.

*Octavia.* Satiavit te voluptate? Si pugil præterea adfuisset novus, certamen refugisses? Nec te Lampridius iniit?

*Tullia.* Sane nova voluptas mihi propior fuisset ærumnæ, quam gaudio. Nam exundanti restagnans semine uterus, quod imbiberat, nihil præterea gaudii aut petebat, aut pollicebatur.

*Octavia.* Dicunt omne esse animal post coitum triste.

*Tullia.* Immo alacri vultu, lætis dictis, significavit Rangonius multo se gaudere gaudio quod bonis libere meis esset potitus. Lampridium vocat; sed ejus me ex ulnis expedio, et utrique eripio, ne ultro citroque iterum cogerer Venerem pati, Lampridii gratificandi causa. Veloci prius in ædes me recepi cursu, quam fere animadverterunt. Interim, Octavia, nequidem Venereæ tabis guttulam e Rango-

nii tubo in concham effusæ meam sensi defluxisse. [pg 164] Quid id sibi velit nescio. Sed si hoc me imprægnatam esse scirem concubitu, ut Calliam meum amo, mærore conficerer.

*Octavia.* At enim vero, præ quartumviratu tuo, quid istud?

*Tullia.* Intelligo. Vis illam meam renarrem Romanam militiam?

*Octavia.* Volo.

*Tullia.* Inciderat in morbum, quem ab initio longum fore et lethalem Medici judicaverant, Callias, dum Romæ agit litis difficillimæ dirimendæ caussa cum Ortobono cognato meo. Ea me res vocaverat Romam; et bonæ valetudini, si tandem restitutus est Callias, meæ opi curiosæ et amanti id debet, nec negat. Ut primum convalescere cœpit et omnis abscessit periculi metus, cupiditas cœpit exhilarandi animi per continuos tres menses mœrore confecti et consepulti. Ventitabat domum e proxima vicinia mulier non admodum ætatis provectæ, ex Ursina gente. Familiarissima cum illa mihi intererat necessitudo, et mecum sæpe cubabat, solatium unicum ægro animo. Una nocte cum serimus sermones, facetiasque miscemus, fateor ad intermissæ Veneris ludum converti interdum cogitationes meas. Ut interrogabat, hos ignes respondeo, quos sentirem in venis meis reviviscere, nullius posse virtutis restingui constantia et pudore. Ad hæc matrona elegantis et liberalis consuetudinis, si alia ulla:—«Volo te abdicatæ Veneris crastina luce satiari donis ad usque fastidium; et, si fatua non es, voles. Nihil propterea,» inquit, «aut famæ detrahetur, [pg 165] aut honori. Id solum volo liberæ te meæ permittas potestati.—Permitto,» refero, «quid timeam quæ te vadem habeo, ducem sequor et auspicem?» Mane facto curare jubet, sed modico prandio, corpus; nec cibis impleri. Pectus, mammas, ventrem, femina, nates lavat ipsa suaveolentibus aquis, et myrteo oleo Veneris typum. Candida induit stola e serico. Obscurari me credidi pellucida quadam nebula, potius quam veste tegi. Post curru una invehimur in villam suburbanam et amœnissimos hortos. Et Flora illic et Venus per omnem liberæ et hilares ludunt et rident anni tempestatem, et omnis tempestas perpetuum ver. Postquam intrantes admisere superbissimæ ædes, inducit me in conclave interius, ubi perpetuo lux condita crepusculo pudori favebat simul et impudentiæ.

*Octavia.* Libidinosæ petulantiæ apta sedes.

*Tullia.* Occurrit modesto ore et cultu matrona anus.—«Faciam,» inquit ad Ursinam conversa, «ut hæc tua puella gratias agat tibi plurimas, voluptatibus ebria paucas post horas.» Hæc dicens prehendit manu. Mox abiit Ursina, ostioque clauso, intro anus cunctantem ducit. «Principio accipe, nata,» inquit, «tibi quid exspectandum, quid ferendum. Amplius tua non es, sed athletarum quatuor, quos paravi agoni tuo. Gallus unus est, Germanus alter, alii Florentia orti duo. Nam amat Florentinos domina mea. Omnes ab anno notissimi, alter alteri amicissimi, et, quod præstat, ortu nobiles.—Apage,» refero, «me occident tot palæstritæ.

Te misereat mei, mater. Unus sufficiet, [pg 166] fac duellum sit, non pugna; dimitte alios.» Risit illa, et dum loquor, adsunt coram præsto omnes.—«Delige,» ait anus, «quem velis excipere primum; ordinem pugnæ cuique suum ipsa constitue: nam quo jusseris, ad pugnam venient et amplexus.» Ego manum porrigo Gallo; illi Turriano cognomen. Huic vero Aloisium, Aloisio Conradum, Conrado Fabricium volo succedere ex ordine. Aloisius ac Fabricius Florentini; Germanus Conradus. Tunc matrona classicum cecinit.—«O juvenes,» inquit, «docete hanc tam venustam, tam teneram puellam, qualis apud ingeniosos, ut estis, in fœmineo corpore sit libidinis usus. Qui fortius in Venereo campo militaverit, pilum melius intorserit, annulum hunc consequuturus est virtutis suæ præmium, et victoriæ bravium.» Annulum ostendit aureum adamante incluso micantem, Ursinæ donum, quo alacrius insurgerent ad prælium. «Alter alterius cursus numerate,» subjicit, «sed etiam cavebo ne per errorem conturbetur numerus. Abite nunc, et agite res vestras.» Sub hæc excessit e conclavi.

*Octavia.* Nunquid timebas, quatuor scilicet hastis appetita circumquaque erectis?

*Tullia.* Intelliges. Manum osculatur Turrianus mihi, simulque recta in cubiculi angulum sipario obductum deducit. Thorus pedem vix unum eminebat, et lucebat tremulo lychnus lumine, ac si esset jam libidinis sibi nostræ conscius. Tunc tollit Fabricius vocem.—«Heus! tu, amice,» ait, «expedi negotium illud tuum, nam et nos rumpimur. [pg 167] Primum haudquaquam tibi locum invidemus, sed expedi.—Fraus aberit,» respondet Turrianus; «quod tam magna cum voluptate fiet, ne dubites, cito fiet.» Ego summo offusa pudore, qui congenitus est mihi, nec simulans, mea non eram. Rogat in lectum demitterem ultro me: non audiebam. Impulsu molli dejicit, fere repugnantem, et jam sub vestem alteram miserat manum. Audivere alii præcipitantius concidentem, et risum sustulere; ego gemitum. «Quid istud est?» aio, «quam, mehercle, quæ hactenus ulla absque labe pura et casta egi vitam, quam vero judicabitis?—Ineptum hunc,» reponit Turrianus, «pudorem expelle ex animo. Non prima perducta es nostros in amplexus: passæ sunt ex optimatum mulierum numero pulchriores furores nostros, ut tu patieris. Honestandi lupanaris, ornandæ libidinis invenimus rationem. Nemo vitio tibi verterit quod nemo sciet, quod tu ipsa, dum peragimus, dum patramus lascivi, sed honesti, tibi dices proxime accedere ad virtutem.—At expedi, Turriane,» clamabat Fabricius; «hac nos mora enecas.—Obsequor,» refert, et eodem temporis puncto demissis femoralibus mentulam aperit, et incumbit in me; impellit in hiantem concham, compressione æstuanti urget, vehementi concutit nisu. Et cum non commoverer:—«Saltem nunc, Domina, cum ad finem operis propero,» inquit, «Veneri fave.» Ego tremulo succussu faveo currenti, et post paulo turgentis mentulæ rore sentio intimam libidinis conspergi aream. Nullus tunc pudori locus, [pg 168] nulla honestatis ratio, nulla immo mei recordatio; colliquescere etiam cœpi.

Sed jam attigerat metas; vix ego sub eo perfeci. Accurrit Conradus vir bonus, sed incultus:—«Quod pace tua fiat, Domina,» inquit, «verbis abstinebo, re colloquar tecum.» Nec plura: pilum rigidum, crassum torquet nervosus in viscera, et ad quartam quintamve concussionem fervido me semine movet ad novam emittendi e lumbis Venerei gari pruriginem.—«Quare mutato ordine occupasti,» inquam, «Conrade, locum qui Aloisii erat?—Ita conventum inter nos,» refert. «Venient ad te ambo simul, etiam simul, puto, inibunt: nam stultos nos judicant, Gallos et Germanos, qui odio habeamus scire ubi sita sit vera voluptas.» Excessit Conradus, ecce advolant Aloisius, Fabriciusque.—«Tolle crura,» ait Aloisius, machæram intentans. Tollo; tunc effundit se in pectus meum, et immergit in ulcus insanabile machæram. Utramque mihi Aloisius tibiam sustollit; et sub poplitibus altera et altera missa manu agitat ipse lumbos mihi nullo meo labore. Procax ridiculæ motitationis genus! Incendi me dixi: sed dicto citius restagnans Veneris spuma restinxit incendium. Surgente Aloisio, novam se Fabricius accingit ad pugnam. Rubicunda illi et minitabunda turgebat mentula.—«Amabo, Domina, obverte te in faciem,» ait.

*Octavia.* Scio quid dein.

*Tullia.* Obvertor ut volebat, quæ sciebam id mihi esse in lege per eorum voluptatem ad meam ire. At enim, ut nates vidit, quæ candore suo ebur et nivem [pg 169] obscurarent: «O te pulchram!» ait. «Sed erige te in genua, demisso superiori corporis trunco.» Ambæ patebant viæ quæ ad utramque ducunt Venerem: probam et castam alteram, scelestam alteram et inquinatam.—«Qua petes?» ait Aloisius.—«Qua tu,» respondet Fabricius. «Postea viderim.»

*Octavia.* Sic minatus est.

*Tullia.* Et petiit qua debebat et juvabat; trusit in intimam vulvam rapidum et igneum telum, mammam utramque cepit manu utraque, post agitare cœpit, et momento dulcis profluere rivus in mollem Veneris sinum. Et ego etiam miris deliniri deliciis: præ voluptate parum abfuit quin deficerem, ea me seminis copia excreti ex Fabricii lumbis implevit et demulsit, ea copia excreti e meis exhausit mihi vires. Hoc uno concubitu plus amisi virium quam prioribus tribus. Ita res acta est; et hic primus fabulæ actus scenis constans quatuor.

*Octavia.* Quam de Fabricio hunc petente corporis situm conceperam, ut dicere aggressa es, fefellit me opinio. Num fallere solent Florentini Venerem. Delectari aiunt puerorum consuetudine, carasque illis esse puellas quæ se in pueros mutari velint, et puerile præstare officium.

*Tullia.* Experta sum ego, et quid in his possint rebus documento ipsa tibi ero. Denique, nam curiosius singulis hærere dicendo nihil interest, eodem ordine Turrianus Conradusque admissis equis in agonem meum descenderunt. Cum procederet ad me Aloisius, supervenit anus: Aloisium Fabriciumque [pg 170] monet, caveant obscœno ne possim pollutam me queri esse concubitu. Licere

quidem intra corpus meum vomerem imprimere quo sulco velint, semen tamen mittere non item licere. Si contra fecerint, Ursinam habituros iratam, et in bonam mentem peccaturos; vulvæ soli rependi debere hoc amoris tributum. Me etiam dictis aggreditur, et animo essem bono ad ignotos adsultus hortata est. Tunc sortiuntur inter se, laus cui prius contingat fodiendæ melioris hujus partis: sic loquebantur. Illaudabilis voluptatis licentia omnem apud malos et olidos cinædos superat veræ laudis suavitatem. Ego vero:—«Non patiar, inducias peto,» inquam, «non longas.» Igitur recta via ivere ad castam Venerem. Octo se hoc modo hæ habuere fututiones. Turrianus mihi admodum cordi erat; in animo erat dono illi primitias ignoti obsequii dare, et me ab amato juvene hac etiam parte devirginari.

*Octavia.* Florentinis non uno in loco mulieribus sita, nec una virginitas.

*Tullia.* Sed contumeliam id esse, non donum, respondit Turrianus, et querelas miscuit.—«Quem me esse putas,» ait, «Domina? Absit hæc meis ab libidinibus amentia, a cogitationibus infamia, a consuetudine ignominia! Nulla mihi esse cara voluptas queat quæ tibi voluptas non sit. Unum rogo ne dedigneris mihi gratificari.—Quod voles, quidquid id demum sit,» refero, «volo. Sed roges nolo, capias volo.—Liceat oculis meis divinæ pulchritudinis tuæ libero frui aspectu.» Depono vestes ipsa ultro, nec difficile opus; nam [pg 171] præter indusium et stolam nihil erat. Indusium ipse sua dejicit ad pedes manu. Ut nudam videt, basiis terit igneis, tactibus lustrat membra omnia liberioribus. Dehinc turgentem, et gravem mole caudam protrudit in vulvam, inguina inguinibus miscet. Sequitur Conradus; Conrado succedunt Aloisius et Fabricius. Novum belli genus. Nudam ut conspexere, exultare et plaudere. Post pulvinum thoro transversum natibus subjicit Aloisius:—«Nunc obverte pronam te in faciem, et nates objice oculis et amoribus nostris has pretiosas.—Quid vero vultis?» dicebam. «Parcite paventi. Obliti estis esse me puellam, non puerum.—Apage,» refert Fabricius, «quod nulla negare ausa est e tot præstantibus inter Romanas puellas et ingenii et formæ dotibus, tu ingeniosa et formosa audes negare?—Sed hanc rem horret animus,» repono, «ferre non potero, conficietis huic bello inassuetam.—Ferre poteris,» subjicit Aloisius. «Multo juniores hoc corporis usu apud nostros homines inclarescunt. Pluris constitit tibi anticæ virginitatis occisio.» Cum proficerem nihil, parui furentibus. Tunc pronus inclinat se in nates Aloisius, pilum postico admovet, pulsat, percutit; post summo nisu irrumpit. Ego gemitum misi: sed illico extractum ex ulcere telum condidit in vulvam, et multo semine depluit in lubricum uteri sulcum. Aggreditur, re peracta, eodem modo Fabricius. Rapido vibrat hastam puram impetu, totamque brevi in viscera abdidit. It reditque aliquandiu repetita via; et quod fieri posse non putabam, etiam invasit me [pg 172] nescio cujus pruriginis rabies, ut huic me assuefieri rei posse, si velim, non dubitem. Sed absit Calliam hæc transversum agat vecordia! Nec tamen abusus ultra modum est patentia mea ad contumeliam; suavissimam profudit voluptatem in

uteri intimos sensus, nihilque quo oblectari possem, hæc nebulonis turbavit intemperantia.

*Octavia.* De Callia vero dic, amabo, nunquam hac tibi improbus parte illusit?

*Tullia.* Fatebor, mea Octavia.

*Octavia.* Fatebor itidem ego, mea Tullia.

*Tullia.* Alterum post mensem quam nupsi, pomeridianis horis cum esset Callias mecum, voluit nudari, voluit etiam interius deponi indusium. At.., at, sile.

*Octavia.* Ah! ah! video venientes ad nos athletas nostros.

*Tullia.* Audio loquentes. Macte virtute, Octavia! jam tibi ludendus egregius ludus. Macte animo! Ut tibi bibet sitiens vulva nectareos calices!

*Octavia.* Contremisco.

*Tullia.* Quod bene vertat, Rangoni! ecce in venustissimæ puellæ, si quæ alia, complexus conjicio. Amore digniorem tuo nusquam invenies; mox fateberis voluptate ebrius: pro certo habeo.

*Lampridius.* Habet, Octavia, tibi gratias Rangonius, et mox referet subigendo, ut meretur, veredum tuum egregie.

*Rangonius.* Novi felicitati meæ adjici præterea nihil posse. Tu vero, Octavia, quid mœrens stupes? Num scis te debere pervigilium Veneri?

[pg 173] *Octavia.* Apage, apage! Ex lecto projiciam me, abstine, clamoribus implebo domum. Abstine! Quid me vexas, proterve? Quid me basiis his adulteris, tactibus his nequissimis inquinas?

*Rangonius.* O te pulchram! O divinam, si tam es indulgens, et mitis, quam pulchra!

*Tullia.* Quo fugis? Non sapis, Octavia. Age vero, Rangoni, siste fugitivam fixo stipite. Agedum!

*Lampridius.* Quid sibi vult hæc rixa? unde hæc altercatio?

*Octavia.* Misereat te mei, Lampridi!

*Lampridius.* Scilicet! Te negas summo gaudio, et miserear tibi? Quid hic misericordiæ locus?

*Octavia.* Vides ut me male habent et hæc, tua Tullia, et hic, nescio quis, sodalis tuus. Sed me infelicem!

*Tullia.* Bene se res habet. Nunc excute illud, Octavia, illud pondus quod intra viscera tua furit. Sed abscede, Lampridi.

*Lampridius.* Cur vero hoc pasci oculos et mentem voluptatis spectaculo invides?

*Octavia.* Ah! ah! ah! ut sævus es!... Nunc vero, nunc quod voles, et ut voles, nunc faciam, Rangoni. Omni, omni cupiditati tuæ parebo, omni. Sustine tantisper, ut aptiori me situ voluptati tuæ accommodem.

*Tullia.* Quippe dum insanis intemperans, alterum e thori sponda femur projeceras.

*Lampridius.* Perfice, Rangoni; nihil te moretur. Sustentabo ego manibus meis, et tollam marmoream hanc columnam.

[pg 174] *Octavia.* Sine, inepte, sine. Quid mihi calcem unguibus scalpis? Eh! eh! Et tu, Rangoni, ut iteras concussiones has rapidas tuas! Jam, jam emorior.

*Tullia.* Agedum, Rangoni, agedum, festina. Tractabo ego hos tuos tibi testiculos, deliciarum fontem. Vides deficientem pellicem hanc? Depluant cito citius vitalem balsamum emorienti.

*Rangonius.* Ecce ut momento flammescit mihi amoris vena, et Veneres stillat Veneri meæ.

*Octavia.* Nihil artubus meis parcas. Ecce... Ut tibi placuit hic succussus? Et hic alter? Et hic? Ah! Quid sentio?... Ut pruriginosos mihi locos fervido mulces... ah! ah!... rore... ah! ah! quam abundanti!... ah! ah! quam suavi! Ut vitam infundis, et adimis, vitæ necisque arbiter!

*Tullia.* Et tu scilicet pumice es aridior. Clausi sunt tui tibi Veneris rivi, Octavia?

*Octavia.* Tace. Eh! eh! Quiesce. Tace. Bene omnia. Hem! hem!

*Tullia.* Incita cursum, Rangoni, præsto sis. Acriori calcare obstetricare exorienti puellæ tuæ libidini. Bene est, bene!

*Octavia.* Oh! Hoc me fere concussu oppressisti, et hoc etiam. Quievit paululum hæc mihi rabies, qua me incenderas. Et tibi adhuc distillat lubricus nervus in venam meam? Sentio!... sentio!... Nullus dabitur finis? Quam immingis suaviter! Me implebis, puto, semine hoc fervido, et e puella Venerei sali gurgitem facies.

*Lampridius.* Interea disrumpor. Festina ad metas, [pg 175] Rangoni. Me miserum reddit tantæ tuæ felicitatis cumulus.

*Octavia.* Importunum te, Lampridi! Deficio, deficio iterum. Sed me, Rangoni, enecas languentem, quod langues. Tam cito abis?

*Tullia.* Tam cito? Quæ tua est amentia? Per Venerem! Huic vix Jovis conferri congressus queat, quo Herculem in Alcmena genuit. Sed ecce ut rigidus, ut igneus, ut superbus Lampridio micat nervus! Excipe.

*Lampridius.* Si hunc igneum et rigidum rimæ igneæ huic...

*Tullia.* Et concussu hoc rapido perfecisti orationem.

*Octavia.* At vero, Lampridi, fave, fave.

*Lampridius.* Fave etiam tu, Octavia; fave, Tullia.

*Tullia.* Quid vis utramque facere?

*Lampridius.* Volo, dum papillas Octaviæ pertracto, molli ipsa et spissa nates vibret motitatione. Tua interim, Tullia, lubrico mihi scrotum et testiculos frictu sollicitet læva illa pruriginosa ad plenum gaudium.

*Tullia.* Sustine partes tuas, inepte. Fungemur utraque nostris præclarissime.

*Octavia.* Dire me exagitas, Lampridi. Sed impune non feres. Concussibus his respondebunt succussus mei acriores. En, en, en. Placeo?

*Tullia.* Egregium te vere ostendis bellatorem, Lampridi. Ut apte pugione ad capulum impresso, non mortem sed delicias exspirantis simili infers Octaviæ! Videris animam agere velle, Octavia, dum [pg 176] totum se intra viscera tua agere videtur velle Cupidineus hic heros.

*Octavia.* Importunam loquacitatem! Quid animum meum a tam grato immensæ voluptatis sensu avocas? Sed…, sed… intro me urit liquida vividi vis ignis.

*Tullia.* E face, quam quatit intro tibi amor Lampridi, stabilis in penetrali tuo. Te interim, mi Lampridi, volo osculari.

*Lampridius.* O dulcis delectationi meæ accessio suavium! Admove etiam eburneos mammarum orbes, ut osculer. Nunc… nunc, Octavia, Tullia, fugiunt mihi libidi… libidinis rivi!

*Octavia.* Sentio, sentio profluentes in stagnum meum. Perge. Oh! oh! perge. Et ego, et ego!

*Tullia.* Et tu, et tu, in effluvium solveris. Opi este alter alteri. Bene est, per Subigum Deum! Bene est. Interim quid cogitas tecum, Rangoni, mutus et iners?

*Rangonius.* Tibi dixerit hæc.

*Tullia.* Ostendis mentulam. Ut momento crevit in duellum! Mirificus es bellator. Nullus ut video quietis misellæ dabitur gustus.

*Rangonius.*

Omnibus una quies operum, labor omnibus idem.

*Lampridius.* Ecce nunc occupa, Rangoni, vacuum tibi campum, non Martium, sed Venereum, in quem velit Mars descendere. Ita me gaudio cumulavit!

*Rangonius.* Me etiamnum fugis aversa, Dea mea?

[pg 177] *Octavia.* Non fugio; sed breves indulgeri peto inducias.

*Tullia.* Mutata figura excita cadentem libidinem, nam effœta langues. Sic condiri voluptas debet, ut voluptatem sine fine voluptas creet.

*Octavia.* Sed vide ut urget Rangonius, et victam vexat inglorius!

*Rangonius.* Exspectabo tamen. Quid vis fieri, Tullia? Da clinopalæ leges, agonotheta a Venere secunda.

*Tullia.* Vides me, Octavia, ut nates tollo in genua, reliquo summisso corpore? Projice vero te resupinam meos in lumbos, ut dorsum dorso, nates natibus conjunctæ hæreant. Apertis dehinc femoribus, summis plantis, quo graviori minus premar onere, ut poteris innitere.

*Octavia.* Impar procul dubio eris ponderi cum procubuerit indiges hic in me. Obsequar tamen jubenti fututricum Reginæ, ne cadam in crimen.

*Tullia.* Obruere nolet me Rangonius: scio. Sustentabit corporis pondus, nec ars deerit, nec modus.

*Rangonius.* Favebo utrique, ut potero maxime. O illecebrosam figuram! Protinus jaculum divinam in hanc pulchritudinem id informe condo. In bonam rogo accipias partem, Octavia.

*Octavia.* Propera, mi rex; exorientem sentio in imis lumbis titillationem novam. Itane, Tullia? Nugæ! nugæ!

*Tullia.* Motita nates, Octavia, ut ego motito. Agita pari motu: gratissimum illi et tibi. Egregie! [pg 178] egregie! Ut fervent tibi crispantes lumborum nequitiæ!

*Rangonius.* Sursum deorsum, Octavia, rapida fuga enitere; et tu, Tullia. Opus opere vestro pernici properate. Agite, agite!

*Tullia.* Æstuantes has et effrenas compressiones intelligo; exsilientis deliciosi fluctus e lumborum lacu sermonem intelligo. Vibra nates sursum versus, Octavia, et ego anhelanti opi fuero.

*Octavia.* Tullia! Tullia!... Me, Rangoni, rapis in furorem. Haud possum, quin clamem, continere insaniam meam. Stillatim sentio decidentem... Ah! ah!

*Tullia.* Pluviam...

*Octavia.* Quam Danæ Acrisio nata aureæ præferat Jovis sui. Imple, Tullia, imple!...

*Tullia.* Quæ meæ sunt partes, et impleo.

*Octavia.* Bis jam, bis tu, Rangoni. Eh! eh!... et tertium ipsa ego. Ah! ah! ah!

*Tullia.* Ter scilicet ipsa e peculio tuo Veneri votum solvisti libens merito.

*Rangonius.* Salsiores salacioresque sane hæc urbs non habet puellas, quam estis ambæ. Gratior nullus esse queat coitus, quam hic fuit, etiam cum nudis Gratiis. Moriar si ingeniosiorem ad suavissimam parandam voluptatem noverit figuram Venus ipsa, gaudiorum indagatrix et inventrix!

*Lampridius.* Vis etiam mecum, Octavia, rem experiri? Interim ne mutes, Tullia.

*Tullia.* Volo, et vult Octavia. Sed fatiscent mihi lassitudine artus, timeo, ante absolutum opus.

[pg 179] *Octavia.* Ut durus es! Ut durus tibi nervus quem in mollem libidinis caltham protrusisti!

*Tullia.* Paulo, mi Lampridi, ruis vehementius quam defessa ferre possim. Perfice actutum, propera; deficiunt poplites, decido in latus.

*Octavia.* Venus te male perdat, Tullia! quæ tam bonam perdidisti fututionem, aut turbasti. Effero, effero lumbos, Lampridi; apertæ tibi sunt deliciæ

meæ omnes.

*Lampridius.* Mucronem summum hastæ volo in summa fissuræ ora, et in molli cadurdorum frictu ludere. Condona mihi hanc libidinem, Octavia.

*Tullia.* Condonat. Negas, Octavia?

*Octavia.* Do illi, negat mihi.

*Tullia.* Prehendam læva hac ego manu frameam, Lampridi, qua depugnas.

*Lampridius.* Ah! domina, strictis his digitorum vinculis, quam perducis in lætum libidinum campum, dum ligas, duplo majorem mentula capiet voluptatem, duplici hoc cunno: tuo quem finxit tibi, Octavia, parens Natura; tuo quem hac subtilitate fingis mihi, Tullia, in manu industria.

*Octavia.* Agite, agite uterque. Bene quidem mihi est.

*Lampridius.* Quid vis, domina? Jam exsilit, jam furit æstuosa Veneris spuma. Age, age, age!

*Tullia.* Vora ecce, Octavia, igneum hunc ramicem. Et momento vorasti.

*Octavia.* Lampridi, Lampridi, fac, fac! Rapior in Veneris cœlum. Adige, ah! adige, ah! adige.

*Lampridius.* Ecce superest, sentis? quo irrorem [pg 180] hunc juventutis tuæ florem. Ecce nectar invergo tibi, libidinis meæ victimæ, Priapi et Veneris sacerdos. Ecce... ecce!...

*Tullia.* Perfecisti tu quoque, Octavia?

*Octavia.* Perfeci. Complectere me, Lampridi, fige osculum.

*Tullia.* Te procacem et libidinosam pellicem!

*Octavia.* Sed meos mihi paulatim irrepit in artus nescio quæ lassitudo, quæ ignavo me torpore hebetat.

*Rangonius.* Quiesces, mea Venus, postquam satiaveris me deliciarum tuarum fructu. Accipe etiam, si juvat, hanc in bonam partem fututionem.

*Tullia.* Abeas tu, si de mala unquam cogites, in malam crucem!

*Rangonius.* Omnes, per Subigum! venustæ, ut est Octavia, puellæ partes bonæ sunt: nam aiunt totum pulchræ mulieris corpus cunnum esse unum. Sed, missis his nugis, transeamus ad seria. Porrige, Venus mea, porrige.

*Tullia.* Quo vis se situ componat, lætiori ut fruare concubitu? Sed venit in mentem. Erigam me in pedes, et resupinæ Octaviæ tibiam dextram quo potero altius tollam, ita ut calcibus lecti feriat cœlum. Alterum femur extendes, Octavia, qua contentione poteris. Sic aditus cunni strictior fiet, et eo jucundior ineunti. Agedum, tolle femur, Octavia. Præsto sis, Rangoni; conscende, admove calcar.

*Octavia.* Dicto citius factum. Quam hunc athletam, Tullia, habes obsequentem in hac palæstra! Agitas vero sursum deorsum, mea Tullia, vehementius [pg 181] quam ferre possim. Luxabis, timeo, femoris compagem, ni caveas.

*Rangonius.* Mirum profecto ludum ludis, Tullia. Nec quicquam opus est, Octavia, moveas lumbos: sola sufficit Tullia motus omnes.

*Octavia.* Nullæ hic fere meæ sunt partes, præter patientiam quam libidini tuæ præsto. Cætera Tulliæ debes. Sed jam me ferit in intima voluptatum penu fervida vis. Oh! eh! ah!

*Tullia.* At tu, Octavia, continua hac motitatione non incalescis ad summas delicias? Sed connivent tibi patrantes oculi. Resolveris, resolveris, video.

*Octavia.* Ita est, ita est. Agitur res intro. Ah! ah! Sustine tantisper, Rangoni, res agitur. Ah! ah!

*Rangonius.* Deliciosum, æque ac tu es, scortillum Venus nunquam vidit. Mihi totam comedisti mentulam. Ut exilis, ut inanis redit ad me! Commodavi crassam, purpuream, fervidam. Redde commodatam, proterva. Quam reddis mea non est: non agnosco.

*Tullia.* Ulciscere sodalem hunc tuum cui hæc facta est injuria, Lampridi: nam vidi bibisse te medicati vini cyathum. Restitutæ sunt vires, et succrevit tibi torrens Veneris fons.

*Lampridius.* Bibi equidem, et cum vino hausi novos ignes, et sentiet mox Octavia tua.

*Octavia.* Per ludum, per procacitatis vestræ intemperiem, interficietis me puto.

*Tullia.* Abjice hos metus: qua infertur vita omni animantum sæclo, qui infert vitam, ne dubites, Octavia, non inferet lethum nervus. Tolle, Rangoni, [pg 182] hanc tuam victricem Heroida in humeros tuos pronam.

*Rangonius.* Cum sustulero, quid fiet?

*Tullia.* Tolle modo. Tu, Octavia, exili e sponda.

*Octavia.* Fatiscunt mihi lumbi. Elephantem putatis esse me, non puellam.

*Tullia.* Delicata es, et delicate agis. Obsequere, corripe ineptam, Rangoni. Hæc tibi, Lampridi, paratur machina.

*Octavia.* Exspecta, Rangoni, paulisper. In tuos me humeros conjiciam ultro.

*Tullia.* Facto opus est, non dicto. Vide ut arrigit Lampridius. Facem conde ardentem in laternam tuam. Opportune, opportune!

*Lampridius.* Evolasti in veredum illum, Octavia, festivissime.

*Tullia.* Nunc, Rangoni, virginis brachia illega brachiis tuis. Aperi femora, Octavia.

*Lampridius.* Aperi, dea mea, hera mea Venerea, horti Venerei tui amœnitates.

*Tullia.* Aperi ipse tu; seræ admove clavim.

*Octavia.* Timebam sane nescio quid turpiusculi, ne qua non decet proscindi me velles.

*Rangonius.* Huic bonæ et amicæ volumus parti indulgere concussus et amores nostros. Sed festina, Lampridi, age quod agis.

*Lampridius.* Postquam me misero intra Octaviæ femina, tu, Tullia, subleva utrumque, facilius ut possim dehiscenti spiculum vulvæ induere.

*Tullia.* Quam cito jussisti, tam cito actum.

*Octavia.* Istud, per meam fidem! sine magno meo [pg 183] non fiet incommodo: uteri mei cutis ita distenditur ut jam findatur. Sed interea ægre subit, quod trudis, Lampridi, pilum.

*Lampridius.* Dulcior ideo lusus et tibi, et mihi. Non ibo recto tramite ad intimam Veneris sedem. Inflectitur paululum subintranti via, dum ima inflectitur corporis compages.

*Octavia.* Bene, bene!

*Tullia.* Levi motitatione agitabo tibi, Octavia, eburnea femora, et opi ero insudanti Lampridio. At vero, ut fervent tibi rapidi concussus, Lampridi! Vectorem forte et vecturam projicies præcipites. Age moderatius.

*Octavia.* Quid moraris properantem? Tibi... Ah!... Quid sistis currentem? Ah! ah!... Tibi male sit!

*Tullia.* Et tam cito tibi fluunt Veneris stillæ! Ut te amat Venus! Lenius vero inflammescit tibi, Lampridi, lubrica seminis vena? Fascinavit hic rigidæ mentulæ opes cunnus Jove dignus?

*Octavia.* Falleris, falleris! Nugaris. Oh! depluit!... deficio!

*Lampridius.* Et excipe has aliquot Cupidinei balsami... ah! ah! ah!... guttas, quæ deficientem deliquio solvant.

*Tullia.* Concute, excute. Nihil, quod depereat Octaviæ meæ, extracto tubo, restet liquoris. Exsuge, Octavia, cadurdorum labiis, exsuge divinum mel.

*Lampridius.* Acta res est. Hæc me profecto fututio mirifice refecit libidinibus suis. Implevit gaudio, non vires exhausit.

*Tullia.* Nunc depone, Rangoni, pretiosum onus. [pg 184] Sinite autem, post tot pugnas, defessos amicæ vestræ tam venustæ artus paulisper quiete recreari. Videte ut pedibus vix suis ambulare potest. Debilitastis, improbi, puellæ teneræ poplitum nervos nervis vestris.

*Octavia.* Amabo, Rangoni, projice me in thori culcitram. Ego non conscenderim sola.

*Tullia.* Nihil hac lassitudinis simulatione proficis. Constitutum est his palæstritis decem pascere fututionibus amorem suum in te. Non prius ex eorum te explicabis amplexibus, pactis induciis.

*Octavia.* Humanius agite mecum, Heroes mei. Si me vultis ad vigesimam coitionem perducere, emoriar. Humanius agite, Hercules mei.

*Tullia.* Hac nocte, velis nolis, perages fututiones viginti.

*Octavia.* Monstrum! loqueris portenta.

*Tullia.* Septem tibi hactenus pugnatæ sunt pugnæ. Manent te tres quæ desunt ad decem. Postea ego et tu secedemus in proximum cubiculum, ubi refici

te et curari corpus id mihi erit curæ. Redintegratio prælii erunt hæ induciæ.

*Octavia.* Admove mihi aurem, Tullia.

*Tullia.* Loquere, loquere, nec summissa voce.

*Octavia.* Impudens fuero, si ausim. Admove aures. Prurit mihi horribiliter locus ille; uri sentio. Quid faciam? Ferre non possum.

*Tullia.* Ah! ah! ridiculam, per fututiones vestras, Rangoni et Lampridi, ægritudinem!... Ah! ah! queritur Octavia...

*Octavia.* Tace; pugno te impetam; tace.

[pg 185] *Rangonius.* Queritur?... Amabo, mea Tullia, quid queritur?

*Tullia.* Uri sibi...

*Octavia.* Quid garris? quid garris?

*Tullia.* Partem salacem, salax et procax!

*Octavia.* Loquacissima es loquaciorum mulierum. Parum abest quin te oderim.

*Rangonius.* Meministi Lauræ, Lampridi?

*Lampridius.* Memini, et tui memini in me beneficii. Nam ejus in agro arasse taurum meum, beneficium tuum est.

*Tullia.* Illa scilicet ipsa est quam dedisti, Rangoni, Lampridio fruendam? Imposturam fecisti cupidæ puellæ et credulæ. Novum veræ amicitiæ pignus!

*Octavia.* Si quid tibi dulce meum fuit, Rangoni, si me amas, Lampridi, narrate ut se res habuit.

*Rangonius.* Dicat Lampridius; nam facti dux equidem fui; nullæ in hac fabula præterea meæ partes.

*Lampridius.* Romæ eram occidente autumno apud Rangonium. Procacibus me cepit ocellis Laura, attamen casta et virgo. Contabescebam amore; illa deperibat Rangonium. Perceperat se amari et me amare. Nutrici puellæ persuadet se nocte concubia in Lauræ cubiculum admittat. Noverat anus puellæ æstus, et æstuanti omnes pollicetur amoris delicias si obsequatur. Obsequitur. Sed me sibi sufficit Rangonius. Hora, qua convenerat, hærentem cubiculi foribus manu anus ad puellam ducit jacentem in lecto, nam cæca omnia. Prope [pg 186] cubabat in contiguo cubiculo Rangonii mater, a cujus sorore creta Laura. Monet anus nullis esse sermonibus locum inter nos; saltem summissa loqueremur voce, ne audiret hera suspicax. Addit, admoto auribus ore dum loquitur, rem cum virgine lentis concussibus et tacito Marte esse mihi peragendam, ne argutatio quassi lecti dormientem heram excitet a somno.

*Tullia.* Quam sapientem et tetricum habuit hac nocte concubinum Laura! Præripuisti forte gravitatis laudem futuenti Catoni.

*Lampridius.* Salsa es. Virginem invenio nudam et, depositis momento vestibus, tenero corpori applico latus.—«Scis,» anus ad puellam, «de quibus monuerim te, filia. Fruendus tibi est Rangonii tui amor non absque aliquo do-

loris sensu, nam crasso, rigido et sævo effervet is amor nervo. Obmutesce tamen, si nolis utrumque perire.» Mox arripit mihi mentulam anus. «Ducam ipsa,» ait obmurmurans, «qua via est ad summum bonum. Tu, Laura, amplectere.» Conscendo. Applicat ultro catapultam; impello: subit fractas fores ad tres digitos latos. Manum amovet anus, et scrotum intra volam capit, digitisque summis leviter scalpit.

*Octavia.* Quid vero et secum et tecum Laura?

*Lampridius.* Altera illi manu nutrix sublevat nates, et ad capulum usque immergo ensem in tenerum virginis corpus. «Ah! ah! ah!» suspirat illa, et illico larga in ejus impluvium e stillicidio meo profluit libidinis pluvia. Alligat me amplexibus, osculis [pg 187] terit, gemitus fundit lenes et suaves uxor facta, ut vidua solet turturilla. Anus officiosa utrique exprimit faventibus digitis mentulam: ne stillæ quidem virgo damnum passa est.

*Tullia.* E virginis vero lumbis excretum nihil est ad opus?

*Lampridius.* Sedatus belle est utrique libidinis furor. Sed dum femur alterum post alterum tollit, dum hac et illac exagitat se commotior, pubem pubi compingit elatis natibus, dum adfluentem libidinis excipit rivum suspiriis, commotionibus, procaci susurro, immemor indictæ legis, ecce Rangonii mater.

*Tullia.* Timeo, timeo vobis. Loquaces impotentis œstri furores Rangonii matrem excitaverunt e somno?

*Rangonius.* Rem tenes. Quam perspicax fututricibus ingenium!

*Lampridius.* «Quid, Laura, audio strepitus?» clamat matrona. «Sola es?—Solæ sumus,» reponit anus.—«Ostento in somnis viso,» subjicit Laura, «e lecto fere cecidi dum pavida mitto me in fugam.—Tam juvenis etiam deliras?» refert Margaris (id nomen matronæ). «Compone te ad quietem. Nugæ sunt hæc somniorum terriculamenta.—E lecto dejeci me dum sentio laborantem alumnam meam,» addit anus; et e composito hac illac dicens cursitabat perstrepens. Sed pavida me timido fovebat in sinu Laura complexu.—«Perii,» dicebat, «perii, cognate; forte et tu periisti, grave est; sed et tecum peribo, leve est.» [pg 188] Ego vero, ne se perire sentiret, effundor in resupinam, pilum torqueo, Veneris ingero nequitias turgidas, fervidas. Post e cubiculo volentem nolentem anus excludit, nuptiis hilariter factis.

*Rangonius.* Lauræ, ut tibi, Octavia, corpus succi plenum, sororiantes mammæ, sed non, ut tibi, dissitæ inter se. Ac si se ament, osculantur rivalis alteri altera.

*Tullia.* Hæc sane conjunctio præstabilis est ad voluptatis cumulum, non ad pulchritudinis laudem.

*Octavia.* Ad voluptatis cumulum?

*Tullia.* Olim intelliges. Nunc vero id intellige unum: tibi tres deesse coitiones ad voluptatis cumulum.

*Rangonius.* Vide ut jam jam illi gestiat militaturus Priapus in mentula mea! Vide ut arrigo! Sed volo nova via ad rem ire.

*Tullia.* Nova via? Non, per pruriginem meam! Non ibis nova via.

*Rangonius.* Peccavi lingua: volui dicere, nova figura.

*Tullia.* Quæ tandem erit? Occurrit ultro, vocant Hectoreum equum. Extende te supinum, Rangoni, hastaque illa fulminatrix hostem quærat intenta quem confodiat. Apte! Sed quid tam superbe te jactas, salax cauda?

*Octavia.* Dabis pœnas, improba, dabis. Quid facere vis me, Tullia?

*Tullia.* Surge, et aversa intra femina tua Rangonium subjice. Ejus machæra jacentis vaginæ respondeat imminenti. Apte collocasti te. Bene est.

[pg 189] *Rangonius.* O dorsum Dionæum! O lumbos eburneos! O incendiarias nates!

*Tullia.* Ab his abstine maledictis. Cunno male dicit qui natibus cum laude bene dicit. Video quo hæc spectet de natibus cogitatio. Prævaricatricem hanc odi laudationem. At enim sapis, Octavia: voravit tibi rudem mentulam, Rangoni, helluo cunnus.

*Octavia.* Ades, Rangoni! En! en!... Ades, Rangoni, mihi opi! Hic elicit hamus, quem misisti in lacum meum, ex imo alveo summam mihi voluptatem. Ades, Rangoni!

*Rangonius.* Adsum, Octavia, adsum, adsum. Ades tu? ades tu?

*Octavia.* Adsum et ego, et ego, et ego! Ah! ah!

*Tullia.* O suspiria quæ velit esse sua Venus! Tam cito defecistis ambo? Nimis tibi cito, Octavia: ardet ecce Cupidinea fax quam in te oportuit extinctam, si summa perfundi voluisti dulcedine.

*Lampridius.* Quo te avertis fugitiva? Illudis mihi? Non vis me perficere? Satius fuit negasse.

*Octavia.* Ex animo loquor: deficio. Hæc me momento concertatio enervavit, quod intentius innitor poplitum nervis.

*Tullia.* Somnia! Velitatio fuit, non prælium. Clavam videbaris excussura Herculi, et temporis puncto defectam te viribus simulas? Somnia!

*Octavia.* Omnes in me mei sensus stupent velut in se ipsi consepulti. Hæcne vivo? Quod præterea feceris, Lampridi, pudet fateri: ut mortui te corporis usu conscelerabis.

[pg 190] *Lampridius.* Revocabo ad vitam hac vere Mercurii virga, flammescenti Veneris sceptro, ramo aureo. Vide, attrecta. Donabo te immortalitate: Venerea hac apotheosi eveham ad Deas.

*Octavia.* At!... at!... audin? Lampridi. Pultat nescio quis ad ædium fores inclementius. Quid id sibi vult? Dii, Deæque amorum præsides et antistites male perdant qui ludum turbatum venit tam egregium, quisquis ille sit præstigiator!

*Lampridius.* Increscit strepitus, ibo. Sed apertæ admisere fores qui ad nos venit citato gressu: in proximo est.

*Tullia.* Excedite, excedite. In paratum vobis recipite vos cubiculum, ne detis rumoribus locum.

*Rangonius.* Occludite vero gynecæum id vestrum.

*Octavia.* Vale, mi Rangoni. Vale, Lampridi, uterque utraque lux mea: ita me amicabiliter enecastis, suaviter delevistis! Hac vivacior morte vita nulla est.

*Tullia.* Nihil est quod timeamus. Absunt mariti: ne quid servi, feræ suspicaces, de his nostris libidinibus subodorentur, diligenter cavi. Omnia sunt in tuto. Sed nosti Præfecti ingenium: vir est comis, urbanus, voluptatum amans ad famæ usque ludibrium. Noctes interdum insomnes solet exigere inter commessationum plausus, et ludorum insanias, cum adolescentibus quos aut in pretio habet, aut a quibus se vult in pretio haberi. Sermonum liberaliorum, jocorum et facetiarum habet participes quos aut amat, aut æstimat. Sic omnium sibi Ordinum hac morum suavi facilitate amorem conciliavit; [pg 191] nec famam læsit. Per Venerem! homo est vita dignus qui scit vivere. Nam quæ a Venere, a Baccho, a ludicris vita abest, longe a vita abest. Sed vitandus quorundam hominum, qui se solos sapere putant, stultus livor. Nihil extra se, extra insipidos et fatuos mores laudant:

Reliquis iniqui judices, æqui sibi.

Eorum fugiamus oculos, Octavia, fugiamus Harpyas, humano vultu feras volucres, obscœnas, et rapaces. Nam sub censoriæ gravitatis specie pulchra omnia conspurcant, et honesta malefactis suis quæque conscelerant. Honestatis tamen habenda ratio.

*Octavia.* Quem vero honestum vocas vivendi modum? Nam omnium minime conveniunt sententiæ.

*Tullia.* Honestum est honestum videri. Nihil ultra quæ sub sensus cadunt, homines admodum investigant. Indue honestatis speciem. Qui sub ea diligenter latet, honestus vulgo audit. Indulge, sed sub honestatis imagine, libidinibus: honesta nihilo tamen minus eris. Si vero vel latum unguem amoto sipario videberis ab severa insipientium, qui soli sapientes videri volunt, disciplina discedere, maledictis insectabuntur, et velut conclamatæ perfida simulatione ejulabunt se sorti misereri, malevoli et immisericordes. Latent ipsi, incedunt larvati, et in id ut lateant summa cura incumbunt. Lateamus et nos. Orbis universus histrioniam exercet. In spectaculis laudamus aut damnamus, dum agitur comœdia, quæ ab actoribus palam aut fiunt, aut dicuntur [pg 192] in proscenio. De his quæ intro aut fiunt aut dicuntur obducto sipario, nullus sermo. Judiciis in civili hac consuetudine sunt obnoxia quæ ob oculos omnium versantur, non quæ sub velo tegi et navari ludunt. O si videremus libero conspectu relicto sibi solos, et suis, quos

indidit Natura, affectibus Magnates hos nostros, et superbos illos nescio quos demissionem animi simulantes, et ficta morum severitate affectantes viam cœlo! O si videremus! Sed ecce Lampridium.

*Lampridius.* Esse aliquid, quod juvet nobiscum communicari a Præfecto, dixerunt, quos e pædagogio ad nos mittit, pueri capillati. Rogat se conveniamus si incommodum non sit.

*Rangonius.* Quid facto opus, mea Tullia? Quid dabis consilii, Octavia?

*Tullia.* Quod honestas suadet.

*Rangonius.* Disjungi ab amoribus suis tam lepidis, tam festivis, tam ingeniosis, quis dixerit honestum?

*Octavia.* Moleste habeo.

*Tullia.* Sed parendum. Nam in hoc honoris gradu positi Magnates quod optant jubent, quod rogant imperant. Abite. Osculum da, Lampridi.

*Octavia.* Abibunt vobiscum deliciæ omnes meæ. Osculum da, Rangoni. O animæ dimidium meæ!

*Lampridius.* Mihi pro te præsenti erit tam dulce suavium quod aufero. Sed da plenum gaudium, Octavia.

*Octavia.* Non dabo.

*Rangonius.* Nec mihi?

[pg 193] *Tullia.* Neutri dabit. Cedite tempori, non amori, jocorum et libidinum solertes artifices.

*Lampridius.* Me videat Juno pronuba torvis oculis, ni malim exire e vita, quam a vestris avelli amplexibus!

*Rangonius.* Vobiscum hanc malim noctem ducere, Veneres meæ, quam cum Jove principum tutore omnes vitæ dies.

*Tullia.* Excesserunt. Nunc fide humanis rebus, et magnas spes animo concipe! Exspectabat irrequietus infelicis Octaviæ pruritus viginti, plus minus, irrorationes: vix ventum ad octavam. I nunc, et fide humanis rebus!

*Octavia.* Lumbi mihi impares huic labori; tu quidem impigris vales et pernicibus. Fortasse ad decimam læta et sana pervenire potui coitionem, nihil ultra passura. Voluptas non est, quod fatigat voluptatem.

*Tullia.* Interim irrumpentium in vallum tuum Rangonii et Lampridii fregisti impetus, exhausisti vires, ebibisti sudores, tu tam tenera, et lumbi delicati et mollis!

*Octavia.* Excussere tamen mihi omnino somnum hæ petulantiæ; etiam si maxime voluerim, haud edormierim. Confabulandum.

*Tullia.* Venus tibi, sermone saltem libero et libidinoso, ad lucem continuanda. Sed schedion ecce humi video; Lampridio aut Rangonio excidit. Videamus quid in eo scriptum sit.

*Octavia.* Videamus; da legere.

*Tullia.* Accipe, lege.

[pg 194] *Octavia.* Litteræ, nulla exaratæ arte, nullo ordine, puellæ esse se scriptas manu primo visu ipsæ fatentur.

# LAURA RANGONIO

## FURORI SUO

Salutem non ausim tibi dicere quam a te exspecto infelix, quam salvam non cupis. Qua evenit maligni Fati dementia, ut me non conveneris, qua hora pollicitus eras cupidini meæ male sanæ? Interim non vivo, nec mori possum. Vivo tibi, lux mea; morerer tibi, quæ tua sum. Alterum suaviter blanditur ægræ animæ, alterius cogitatio cupidam tui deterret a laqueo. Vitam inter et lethum utriusque teneo confinium. Si venis, regredior ad vitam; si negas, curro ad mortem, nec longa via est. Nam absunt læta omnia; absum etiam ego mihi, cum mihi abes. Irrequieti æstus, trepidi metus, impotentes curæ, vallo velut facto circumveniunt miseram, facto impetu obruunt. Occurrunt, quocumque me vertam, cruces, si non occurris qui me tot malis, mihique furenti eripias. Nam, si me spretam sensero, putabo damnatam ad mortem, et peribo, quæ, a qua die amore tuo inflammata æstuo vesana, perire cœpi. Advola si vis restitutam bonæ menti. Vale.

*Tullia.* Vere acumine et vi ingenii pollet Laura, quæ tam scite scribit. In ejus Venere quot putaverim inveniri Veneres, quæ adeo ingeniosa est!

*Octavia.* Etiam Rangonium suos admisit in amplexus? putabam uni Lampridio lumbos movisse.

[pg 195] *Tullia.* In puellæ medullis hæserat incendium; jam in locis pruriginosus furebat æstus, quos ignota antehac Venus consecraverat sibi ad libidinem. Nocte tota hac illac, ex impotentia amoris, versavit per thorum tenellos artus. Uri se dicebat. Credebat nutrix furere. «Medebor huic tuo morbo, nata,» dicebat. «Sed paulisper tempera tibi ab his ineptiis. Spera bene: qui te conjecit in furorem, sanabit læsam mentem. Ne desperes, amabo. Abeant hæ intemperiæ quæ tibi nocent, me necant!» Mane facto recta volat ad Rangonium anus, refert ut se res habeant; soletur amantem puellam rogat, salvam velit pulchritudinem

Jove proco dignam. Perrexerat Rangonii mater ad villam duo distantem ab urbe milliaria prima luce. Quid faceret juvenis? exorari se patitur: sequitur anum quo ducit. Invenit sedentem in thoro puellam capillis, ut Mænadem, passis, suspiriis macerantem molle pectus, tumido lacrymarum imbre oculorum obscurantem soles qui Solem obscurent. Ut videt intrantem, conjicit se, ut erat, seminuda in pedes. «Venisti ad me,» inquit e collo pendens, «venisti ad me, præstigiator, ut mentem adimeres mihi hactenus nullius labis consciæ. Redde me mihi puram: non potes; dono da te mihi proprium et constantem: potes.» Sub hæc, fluxere ex oculis lacrymarum uberes rivi. «Nulli cedebam,» adjicit, «ex nobilibus quas in pretio sunt. Splendebam honestatis laude; uni tibi, ut gratificarer, cessi. Ab omni, eodem temporis puncto, mea laude cecidi, cum insano ultro tuo me amore accendi. Misereat [pg 196] te mei. Aut fac, si potes, mea sim: sed ut me novi, non poteris. Aut fac meus sis, et ex animo sis: poteris. Sed, ut te novi, noles; quia amplexus tuos Veneri servas Venere dignos.» Quid plura? Onerari se diutius probris non est passus Rangonius. Pax inter eos convenit. Pellicis Deæ afflante numine, magna cum utriusque voluptate sacra Veneri facta.

*Octavia.* Et sedatum prurientis Lauræ salax œstrum ut et tui furores in Ursinæ villa, honesto lupanari?

*Tullia.* Inhonesti vocabuli maligne detorques significationem. Stulte loqueris. Accipe. Lupæ sunt et meretrices quæ, nulla voluptatis habita ratione, pretio merent, aut merere vulgo audiunt, putidæ, e misera et jejuna plebecula. Quocunque protervæ se tulerint, lupanaris secum sordes invehent; ignominiosum ipsæ sunt sibi opprobrium. Verum in alto, ut nos sumus, conditionis gradu positis, turpis hæc non convenit appellatio. Ex cujusque sorte et dignitate quæque æstimanda, ut judicium feras. Lupa et lupanar inventa sunt vocabula ad ignominiam fortunæ, non morum.

*Octavia.* Bellum documentum! Sed, puto, duodecim jam exceperas pila in parma tua, cum has interturbavit Rangonius nequitias tuas, meas moturus. Narrationis tuæ filum abrupit; volo ad finem persequaris.

*Tullia.* Volo et ego.

*Octavia.* Venus Aloisium Fabriciumque male perdat, rebellantes in naturalem voluptatis honestatem nebulones pessimos!

*Tullia.* Sed ingeniosi aiunt in hac re esse nihil [pg 197] quod vituperio admodum dignum sit: nam aversum spelæum esse muliebris partem corporis, ut sunt et manus; igitur haud gravius delinqui quam si viri mentulam uxor manu pertractet. In eo peccari si fœmineum hortum imber non irroret genitalis. Atenim quidquid id sit, Octavia mea, res mihi videtur saltem ridicula, si non turpissima.

*Octavia.* At mihi et ridicula, et fœda. Nam quæ voluptas hæc esse potest, sexum alterum alteri illudere opicis furoribus ardentem? Quis hanc non abominetur infamiam, qui humanitati velit honorem haberi qui debetur? In

puella qui tam perverse ludit, venusti sane corporis violat dignitatem. Nescio quo pacto hic invaserit furor nostrorum hominum mentes.

*Tullia.* Cujusdam constellationis id fieri nequitia dicunt cœli interpretes Astrologi, quæ ultra Alpes pestem suam non æque afflat nascentibus. Hoc maxime Itali Hispanive puerorum puellarumque delectantur munere. Cum petunt a nobis, corollarium; cum a pueris, officium vocant. Oscis populis lusus fuit non inhonestus. Scis quam ingenio Græci præstiterint? Callipygam, pulchris natibus, Venerem coluere, et sororibus callipygis pulcherrimæ puellæ pulchritudinis laudem concessere. Is non oculorum fulgetris, non oris venustati, sed pulchris natibus honos habitus. Sane qui femina non oderit, nates odio non habeat necesse est. Negabis femorum esse radicem, et ab origine potiorem partem?

*Octavia.* Sed jucundæ visu, gratæ tactu, faciant visui tactuique delicias. Aliud quicquid gaudii qui [pg 198] præterea ceperit, horribile catharma quod auras funestat et aera, eum judicaverim.

*Tullia.* Bona verba! Quid illi probro verti debeat non video, qui in fictitii hostis simulacrum experitur quid, cum justa conseritur pugna, in figendo pilo possit, quod mox torqueat verum in hostem.

*Octavia.* Quam passa es contumeliam, ludicrum vocas?

*Tullia.* Negabis tu de Caviceo? Tuus te rubor, quo offunderis, arguit. Minime es impudens. Quid insultas mihi, nugatrix?

*Octavia.* Semel ac iterum, fateor, periculum Caviceus fecit an posset, nec potuit; postea constanter abstinuit. Pomeridianis horis voluit cum nuda cubarem. Suaviantem, blandientem, prurientem nova incessit libido. Supinæ molli tactu palpabat nates—«Subleva, Octavia mea,» ait, «marmoreas has nates genibus innixa. Fave amori meo quem in furorem vertis. Pateat pars utraque, et hæc bona, et hæc postica. Permitte petat æstus meus libidinosus quam optaverit: nihil inde peribit tibi, confide. Rore demulcebo tibi suo intimos Veneris locos; pleno et vero tibi gratificabor coitu. Incipiam opus in sequiori, perficiam in bona. Sic tibi abunde mihique satisfiet.» Parui, et eunti ad Venerem objicit se bivium: regia illa via, abrupta et sentibus obsita hæc. Huic vero admovet catapultam, proficit nihil; colliquescit inter reciprocantes anhelitus et vehementes concussus in sudorem.—«Nihil ex voto ages,» dicebam, «vis qua nec calamo via esse possit, trabem trudere magnam et crassam? Vis [pg 199] disrumpi me? Vis diffindi, et e duobus lacunis unam fieri?—Ita est, Octavia, insanio,» reponit, et momento passerem demittit in patentiorem subtus libidinis nidum. Post aliquot dies idem conatus, idem exitus. Destitit iterum ab incœpto, et qua utrumque juvabat, divisit me.

*Tullia.* Quæ mihi hac super re contigere cum Callia, ipsa narras: eadem omnino; nisi quod viæ difficultatem oratione etiam adjuvi, ut difficilior videretur. «Fœmina nupsi tibi,» dicebam, «et fœminæ quæsivisti amplexus. Prolem sperasti ex me et gaudium; sed qua fœmina sum et gaudium tibi et prolem cre-

abis; nec honestatem lædes, nec pudorem meum fatigabis. Si vis liberos, finge tu tibi in hac generis humani officina faber præstans; si vis voluptatem, hic scaturit fons omnium voluptatum quas illecebris et jocis suis procax Venus condire solet. Accede ad hunc fontem. Nec nimis declivis via, nec confragosa, nec item, quam opus sit eundi ad amorem, latior. Actum dixeris potius quam viam. Hac age veredum. Ambulabit, per Venerem! læto passu, nec, ut facit, tam inani labore vexabitur. Quærit ubi deponat onus, et melius inveniet viam si quærat solus, si laxes habenas.» Risit Callias, et:—«En laxo,» ait; «suo se nunc agat ipse ingenio: nam ingeniosa res est mentula, si quæ alia.» Confestim in stabulum recondit se quod apertum sensit sibi, et onus magna cum utriusque voluptate post paulo deposuit. Nec, post hos impetus furientis et cæcæ libidinis, quicquam [pg 200] tentavit Callias quod molestum mihi aut indecorum utrique videri potuerit.

*Octavia.* His super nequitiis quandoquidem nobis est sermo, rogo, Tullia mea, aperi, si me amas, veros animi tui sensus, et rem omnem fando explana, ut nata est, ut excepta a salacibus hominibus, ut invaluit, ac qua tandem factum sit ratione ut quosdam ad se pellexerit populos, alios tamen bene multos non attigerit. Advectum e Stgyiis specubus sulphureum hunc opinor ignem, qui puros casti amoris igniculos mixtura sua pestifera inquinaret.

*Tullia.* Recte judicas. Sic autem se res habuit. Omnes ullo absque discrimine homines,

...Qua sydus currit utrumque,

iisdem moventur affectibus, ex eadem materia et pari membrorum compage. Pariter omnes feruntur ad libidinem. Appellant vero libidinem acrem illam et vehementem cupiditatem, non tam inferendi in alienum corpus et alienos sensus summi gaudii, quam ex alieno corpore capiendi. Amant illas alieni corporis partes ad effrenatam usque impotentiam, quarum ope ex suo aperiunt sibi libidinis rivos, et ex medullis suis salax ille excitur humor quem semen vocant, quod, cum in arvum nostrum profluxit, hominem generat. Eo in effluvio, et nosti, Octavia, felicitatem inveniunt quam quærunt in nobis. Exsiccata Veneris vena, vides ut fastidiant bona nostra, ut basia, amplexus, et alia Veneris dona nihili faciant, et aut in fugam conjecti abeant retro, aut hebetes et [pg 201] lapidei conticescant. Ita, qui vino et cibis ingurgitaverunt se, illis nec vini, nec ciborum cura. Enimvero propensiores nascuntur ad amorem sexus nostri, et incitatiores ad corporum nostrorum usum, qua fœminæ sumus, impellente scilicet Natura rerum parente. Sic enim immortalitatem pollicita est, si sexus misceatur alter alteri. Sed id omne seminis, quod in lumbis virorum mulierumque concoquitur, necessario generationi non debetur. Hæc est, aiunt, sapientiorum sententia. De hoc semine idem volunt fieri judicium quod de plantarum arborumque semine. Frumentum vide

ut partim animalium servetur usui, et ab iis absumatur, partim ad sementem. Relicta glande Ceres mortales docuit artem e frumento panis conficiendi, cui id nomen inditum, quod figura Panos imprimeretur. Ea pars ventri data et deliciis: nihilo tamen minus indignari Naturam quis contenderit? Ex aliarum plantarum seminibus, quæ homines nulla necessitas, nulla voluptas jussit legere, sua sponte partem rursus terræ mandat Natura, unde novæ exsurgant plantæ, partem aliam perire ægre non fert. Non dissimiliter, aiebat Socrates, aiebat Plato, hominis procreationi aptum semen stultum est in mente id Naturam habuisse, ut totum impenderetur hominum generationi. Præterea, quid vellet ultro ipsa edocet. Nam in corporibus nostris, Octavia, via est etiam semini qua extra vulvam, dum gerimus utero, mittatur: quæ non esset si uni tantum rei Reginæ Naturæ decreto esset inserviturum. Homines vero, quando libet, et ut libet, remittuntur; sed in nostris tantum amplexibus, et in eam [pg 202] corporis partem, quæ cessit generationi, seminis procul dubio haberent fundendi facultatem, si cudendo homini hæc foret materia uni destinata. Deinde cum fœcundo impleti nobis semine uteri tument, et ad sextum, octavum, nonumque mensem pervenit imprægnatio, cum immo urget languentes partus hora, non negant maritos rem habere nobiscum jure posse, et sane habent. Igitur impendi necessario homini procreando semen deberi, alio nequaquam præterea usui, a vero abhorret. Nam, illo tempore, novæ imprægnationis quæ reliqua spes nisi ad improbitatem fatuo? Ex iis quæ consequantur intelligis, Octavia.

*Octavia.* Intelligo.

*Tullia.* Hinc sane factum ut Medici insertis pessariis, sic loquuntur, ægras ad voluptatem moveant puellas; ex imis locis purulenti seminis pigra fluenta exsolvant. Unde variæ morborum pestes non nuptis. Nec ideo Medicinam damnant, ejusque opi inurunt notam scelestæ ullius licentiæ. Sic contabescentes videmus recreari, et ad vitam revocari morientes.

*Octavia.* Sic bonæ restituta est valetudini Livia cognata tua, menses septem antequam nuberet pallida, velut pædore obsita, exsanguis, et vivum mortis simulacrum.

*Tullia.* His rationibus factum, quæ quadam, sed falsa, veritatis specie relucebant, ut quæ primum quorundam delicatiorum erat intemperantia, omnium tandem aliquot in terris facta sit. Mulieres sibi delegere quarum in campum descenderent prolis causa, non amoris; quas prægnantes pro damnatis [pg 203] haberent, a commercio omni suo arcerent, in penetralia domorum abigerent, nec osculis nec amplexibus amplius dignarentur. Injuriæ miseris et criminis loco erat matrem esse. Asiaticos apud Reges sordebat fere sexus noster. Bagoas in deliciis Dario fuit, Alexandrum etiam incendit. Componuntur populi ad exemplum Principum quibus subsunt. Eadem infamia omnes in omnibus vitæ et conditionum gradibus tenebat. Eodem omnes furore ardebant, plebs, magnates, et

reges. Philippum, Macedonum regem, hæc insania confodit, Pausaniæ manu quem oppresserat. Hæc Julium Cæsarem Nicomedi regi subjecit, omnibus hominibus in fœminam vertit, ut omnibus mulieribus vir erat. Augustus id dedecus non fugit. Tiberio et Neroni pro laude fuit. Tigillino nupsit Nero, Sporus Neroni. Trajanum, optimum principem, pædagogium comitabatur Orientem totum victoriis peragrantem. Venustorum et formosorum turmam puerorum, quos in complexus suos die nocteque ciebat, pædagogium vocabat. Antinous Adriano pro domina fuit, Plotinæ rivalis, sed felicior. Mortuum luxit Imperator, et qui in vivis esse desierat, retulit in Deos, aris et sacellis consecratis. Antoninum Heliogabalum, Severi nepotem, per «*omnia cava corporis,*» ut loquitur vetus scriptor, Venerem excipere solitum sua tempora pro monstro habuere. Huic etiam Veneri severa Philosophiæ gravitas saltavit, pæderastiæ choro mista. Alcibiades et Phædon cum Socrate dormiebant, si quando alacrem vellent præceptorem. Ab tam sancti viri amoribus duxit originem hæc dicendi in Venereis formula, [pg 204] «*Socratica fide diligere.*» Omnia Socratis facta dictave omnibus Philosophorum sectis sacra. Illi sacellum conditum, et ara erecta. Facta legis vim, dicta oraculi autoritatem habuere. Philosophi ab Herois, nam inter Heroes relatus Socrates, indigetisque sui exemplo non descivere. Lycurgus, qui Laconum legislator, aliquot ante Socratem sæculis, bonum et utilem esse posse civem negavit cui non esset concubinus amicus. Volebat nudas virgines in theatro palam exerceri nudas, ut liberior hic aspectus amoris aciem, quo natura ferente rapiuntur ad nos homines, obtunderet, et in amasios et sodales ardentiorem converteret: nam non ita tangunt assueta. De poetis quid loquar? Anacreonta urebat Bathyllus. Plauti pleræque omnes facetiæ versantur circa hæc. Hujus sunt generis:

> Faciam quod pueri solent, conquiniscam ad cistulam;

Et

> Conveniebatne machæra militis in vaginam tuam?

Ille imo poeticæ artis apex Maro, qui Parthenius appellatus ab ingenuo et ingenito pudore, Alexandrum dono sibi a Pollione datum amabat, et sub Alexis nomine laudavit. Ovidium idem morbus tentavit: prætulit tamen puellas pueris, quod voluptatem his in lusibus vellet communem, non sibi propriam. Amare se Venerem, ait, «*quæ utrimque resolvat.*» Hinc fieri «*quod pueri amore minus tangatur*». Quum se negligi viderent puellæ ab iis quos [pg 205] amarent, et uxores ab iis in quorum sacra per nuptias venerant, si muliebri tantum mererent stipendio, ad puerile deflexere officium. Eo res adducta vecordiæ, id etiam novis ut prius nuptis extorqueretur, dehinc per puerum ad puellam iretur, uterque utrique

uno in corpore sexus confunderetur. Priapus, in Veterum lusu, qui accesserit ad stipitem suum olerum fur, hunc daturum minatur,

> Quod virgo prima dat nocte cupido marito,
> Alterius loci dum inepta vulnus timet.

Fingit, nam quidlibet audendi æqua fuit semper potestas pictoribus et poetis, Valerius Martialis sibi uxorem obmurmurantem nates etiam esse, quo deterreret a puerorum amore amentem; Junonem hac ait parte placere Jovi; nec tamen se suaderi: aliam esse pueri partem, aliam fœminæ. Utatur uxor parte sua jubet. Sed sedebant in fornicibus pueri puellæve sub titulis et lychnis, illi fœmineo compti mundo sub stola, hæ parum comptæ sub puerorum veste, ore ad puerilem formam composito. Alter venibat sexus sub altero sexu. «Corruperat omnis caro viam suam.» Vide quam fuerit hic usus frequens puerorum puellarumque sexum mentientium. Ecce Ganymedem Junonemque certatim Jovi clunes et illum et hanc porrigentes, bona sua de postico thesauro jactantes. Nec religionis violatæ, qui hæc commentarentur et fabularentur impostores, nec impietatis rei facti, qui crederent aut stulti aut libidinosi. Miseri humunciones quo non irent [pg 206] præeuntibus Diis? Jovi Ganymedes in deliciis, Apollini Hyacinthus, Herculi Hylas:

> Cui non dictus Hylas?...

Antistes Majestatis Jupiter, Scientiarum Apollo, Fortitudinis Hercules. Prima mali sedes Asia: nec tamen Africa ab hac peste pura, quæ per contagium mox Græciam et contiguas Europæ partes pervasit. Orpheum in Thracia fæculenti ludi inventorem et suasorem spretæ Ciconum matres,

> Inter sacra Deum nocturnique orgia Bacchi,
> Discerptum latos juvenem sparsere per agros.

Celtas narrant vetustis illis temporibus, si qui se hoc a morbo præstarent incolumes, ludibrio habuisse: nec munerum, nec honorum participes erant. Qui puros sibi servarent mores effugiebantur ut impurati. Non juvat in publica totius civitatis dementia esse solum sapientem: et quia non juvat, nec etiam decet.

*Octavia.* Quis te inter homines eloquentiores dicendo superet? Quam ingenue, quam ingeniose effers quæ dicis omnia!

*Tullia.* Celtarum nomine non ii tantum comprehensi qui trans Alpes in Gallia vivunt; sed omnes ad Occidentem positæ nationes, quarum in numero sunt et Itali et Hispani. Nunc omnium maxime hominum Galli odio insuetæ Veneris fla-

grant; quos polluit, ultricibus purgant flammis: ferri aciem sufficere non putant ulciscendæ castitati. Mirantur [pg 207] Itali et Hispani; nam satius est de populis sub Mahometis jugo depressis non dicere. Gallos, et qui ad Septentrionem vergunt, stupidi dicunt esse ad voluptatem sensus; sincerum, ut sibi, voluptatis inesse gustum negant. Nimirum nos fœminæ acuimus ipsæ in nos virorum nostrorum ingenia ad voluptatem alio investigandam, quam vix, ac ne vix quidem, inveniunt in nobis plenam et solidam.

*Octavia.* Non intelligo.

*Tullia.* Intelliges ut ego. Patentiora sunt nobis Italis, Hispanisve (quis neget?) Veneris ostia. Non Veneri facere, qui peculiatus vasatusque ultra modum non sit, sed dixerit in porticibus amplis jaculo ludere. Quæ facile admittit ineuntem, minuit concha voluptatem. Comprimi, exsugi gaudet mentula; si liberius spatietur, male habet. At in aversa Venere se res commodius habet. Difficilis ingressus irrumpenti mentulæ, et cum irrumpit, locum non implet modo, sed disrumpit. Dehinc nulla stadii capacitas nisi quam velit cursor. Accommodat ultro se hospitium hospiti, musculi ut contenduntur, ut laxantur. Vulva vero cum semel aperta horribili hiatu, ars nulla, mulieris nullus aut situs aut motus, faciet unquam quin laxa, quin aperta horribili hiatu pateat miserabili mentulæ, ad contumeliam concubitus. Hinc amatores turpis delicii apud nos multi; ex adverso, apud Gallos Germanosque pauci. Nam sub septentrionibus non ita fœminæ lati fundi sunt. Frigore restringuntur membra omnia quasi concreta. Ideo cum habeant omnia in legitimo mulierum censu quæ voluptati favent, quid expeterent ultra [pg 208] quod illis in penu est? Sane, qui apud nos peculii laude prædicantur, bene mutoniati, nec pædicantur, nec pædicant. Hæc sunt, Octavia, quæ volebas.

*Octavia.* Oblita es dicere utrum hanc Venerem probes an abomineris, ut ego, medius fidius! abominor.

*Tullia.* Si probem, sana non sim. Vox cœli fulminatrix, vel terra obmutescat, hanc condemnat socordiam. Lucianus argute de utraque edisserit Venere; nullam damnat. Nescias quam judicaverit alteri præstare. Achilles Tatius in *Clitophonte* non dissimiliter ambiguo animi sensum condit sermone malignus. Græci ambo. Latinos inter scriptores nullus nec damnat, nec laudat. Quod mirere, legislatorum vetuit nullus: scilicet voluptates, quæ jugulum non peterent, crimini non adscribebant. Bona ego fide agam, non illa Socratica. Omni supplicio, omni contumelia digna postversa Venus. Cogitationes alterius sexus sponte in alterum cadunt. Vim naturali facit propensioni, qui Venerem quærit in puero. Cupido amorem adspirat: quis pædicavit Cupidinem? Nec pædicare se patitur, nec pædicari. Ut primum cœpit in venis amoris libido fervere, sane in fœminarum amplexibus adolescentes præsentiunt, inconsultis, præter se, omnibus, positam esse sibi medicinam, qua sedetur ignea tempestas. Ex ephebo exeuntem accendit hunc

puella, hanc puer. Mutuis capiuntur desideriis; alter in alterius cupiditate contabescit. Hic amoris cursus. In adversa hac parte tingit, quæ in tenera mittit pectora Amor spicula. Ut alio deflectat, meditato opus est [pg 209] et multo rerum usu. Non Natura, sed corruptis has afflant furias corrupti mores. Si sequior pars huic efficta esset usui, esset etiam accommoda. Posset nervus salax magno absque labore, absque periculo coeuntium se intro penetrare. Devirginantur etiam ante pubertatem nec satis viripotentes puellæ. Certum est in primis conflictibus dolorem inferri; sed intra paucas evanescit horas is dolor, quem brevi consequitur voluptas summa. Ægrius multo se res habebit, si qua non fert Natura, puella petatur, aut puer. Et acerrimi incutiuntur oppresso cruciatus, ac plerunque, si crassior infindat contus, teterrimi ex ea morbi petulantia enascuntur, quos nulla Æsculapii curet industria. Disruptis musculorum vinculis, contingit postea excrementa effluere etiam invitis. Quo quid turpius? Novi tam diris inde afflictatas fœminas nobiles ægritudinibus enatorum et pullulantium ulcerum, ut sanitati, post duos tresve annos, vix sint restitutæ. Ego quidem ex Aloisii Fabriciique sacris amplexibus non evasi omnino sana. Primum dum pila infigunt, vehementem tuli cruciatum; mox levis ægram solata est titillationis umbra. Postquam vero domum redii, ardentissimus rursus me dolor cepit in ea parte quam laceraverant: incendio torrebar prurienti. Et sane Ursinæ ope ignis hic sacer vix restinctus est. Pereundum erat miseræ neglectis vulneribus. Tu, Octavia, in primis pubertatis diebus tenera et delicata, ut es, non ita cito ad Venerem perduci potuisses. Ut venisti ad plenæ pubertatis annos, omnes fregisti rigidissimi et crassissimi mucronis impetus fere illæsa. Quid vero de te, horreo [pg 210] dicere factum esset, alia si parte tantæ molis catapulta furores suos in corpus tuum impulisset? Nec me movent quæ in causæ defensionem humani generis hi hostes, pædicones et exoleti, adducunt argumenta, ex rerum natura, ex moribus, ex hominum quorundam aut dignitate, aut claritudine. Nemo persuaserit sibi sapiens, humani seminis jacturam, quæ sponte fit, omni flagitii labe carere, aut sane hominem perdere probro verti non debere. Qui semen mittit non in muliebrem sulcum, vult perdere hominem, et perdit qui fingi potuisset: homicida et adulter. Nondum etiam nati enecantur purulentam per hanc voluptatem homines. Vita adimitur quæ negatur. Cum laborat in adytis suis Natura perficiendo semini, generationem spectat, non libidinem. Voluit in mutuos amplexus venire, fœminam quam partus difficultas, virum quem educandorum liberorum cura longe averteret. Ad generationem pellexit, quam nudam et solam refugerent, caris caræ voluptatis illecebris. «Sed in prægnantis arvum quod injicitur semen, quis neget,» aiunt, «perditum iri?» Nugæ! Dicunt Medici novo rursus fœtu augeri posse prægnantem fœminam, si ineatur. Hinc factum narrant, ut quæ partum jam effuderat in lucem, aliquot tamen post dies alio sit partu facta mater: superfœtationem vocant. Quis omnipotenti artifici Naturæ materiam non credat, ex qua scilicet edat opera quæ so-

let fingere? Quis non fidat Naturæ? Frumentum vero, atque similia, semen non sunt, ut nugantur, sed fructus perfecti, qui suum in se continent semen, cujus vi et facultate [pg 211] renascantur. Bos, aries, gallus gallinaceus, animalia similiter sunt absolutæ perfectionis pro genere suo. Quis ab eorum nos velit esu abhorrere, quod scilicet, quo speciei cujusque suæ perpetuitati provisum, in iis lateat vitale semen? Nulla Naturæ fit injuria: nullam profecto in frumenti et fructuum usu et esu fieri, perspicacissimæ Philosophorum sectæ fassæ sunt.

*Octavia.* Bene quidem; sed tecum mores pugnant longo usu comprobati, et magni in omni ætate viri.

*Tullia.* Nulla temporis diuturnitate mali adipiscentur autoritatem mores quæ bonis debetur. Tam multæ ab orbe condito scelerum facies, cædes, latrocinia, veneficia. Quis propterea aut laudet, aut ferat? Vastari pestilentiis et crudelium contagio morborum civitates et urbes, familias internecione deleri, nihil novi: quis ideo pestes et morbos mala esse negaverit, quod ab origine rerum ad nos usque continua damnorum serie manarint? De rebus per res ipsas judicandum, non per adjuncta. Itaque ut ævi diuturnitas infamiam nequaquam elevat, sic nec vel celeberrimorum virorum laudes flagitii laudi esse possunt. In alto lucentes iis se nebulis obscurarunt, iis se e summo gloriæ gradu deturbarunt furoribus. Enimvero non omnes qui honore et fama florent hæc tetigit tabes. Ab eo se contagio major se numerus servavit incolumem, ne dubites. Quibusdam in terris tenebricosus furit hic æstus; major tamen numerus, si magnates, si plebem, si omnes spectes ordines, sanus viget; horribili huic morbo [pg 212] imperviam tuetur virtutem, et ab omni scelere puram. Demum, ut judices bene et sapienter, de rebus judicandum per res ipsas, non per adjuncta.

*Octavia.* Non miror Turriani illius tui, qui ab hac se ostendit alienum salacitate, adeo aspectum placuisse oculis tuis, sanctæ scilicet et gravi fœminæ.

*Tullia.* Quam hic dicendi calor abrupit, repeto narrationem, inepta: nam mones. Proximus successit Aloisio et Fabricio Turrianus. «Quæ indulgentia tua passa est, dea mea, tam pulchrum corpus contaminari, et cœlesti formæ illudi? Vis qui debetur formæ et nobilitati tuæ ultum eam honorem,» inquit, «quem violarunt? Vis utrumque ad aras tuas, dea mea, namque eris mihi semper dea, mea manu ultrici cædam?—Nolo,» respondeo; «sciebam qua lege in hanc palæstram descendi. Usi sunt jure suo. Sed generosam tuam laudo ingenuitatem. Tanto amo te ardentius, quanto ardeo vehementiori in eos odio.» Hæc dicens suavium dedit, Octavia mea, quod illecebris ipsa suis procacioribus videri posset respersisse Venus. Surrexeram e lecto, nuda eram, arrigebat. Nec mora; mammam manu utraque prehendit utramque, et intorquens intra femina spiculum fervidum et durum:—«En,» inquit, «Domina, ut te appetit hoc telum, non quo lethum, sed læta omnia inferam tibi. Sis, precor, dux ipsa cæcutienti mentulæ hoc in cæco itinere, ne aberret a scopo: nam manus meas ab hac felicitate, qua fruuntur, haud

dimoverim.» Facio ut fieri volebat. Appuli ego igneum telum ad igneum ostium. [pg 213] Sensit, impellit, et infigit. Vere præstabilior Venus est hominis qui placet aliorum hominum omnium amplexibus, quantumcunque sint illecebrosi et meretricii. Momento, et ad alterum alterumve concussum, resoluta sum incredibili cum titillatione, ita ut parum defuerit quin deficerent poplites mihi. «Siste, aio,» fugientem animam.—Scio qua fugit,» refert subridens. «Tibi scilicet elapsuram per id infimum putas ostium quod teneo; sed ecce occlusum id est aptissime.» Dicens, contentione quadam spiritus summa, faciebat ut incresceret moles turgentis mentulæ. «Et retro repellam fugitivam animam,» adjiciebat; acerrimos etiam motus ciebat. Altius ad vivum persedit mucro. Ea vi sursum dulces ingerebat impetus, deliciosos penetrabat furores, ut, quando certe omne non poterat corpus, saltem cupiditates omnes, desideria, libidines, cogitationes, animumque amentem illac in corpus meum effunderet libidinosis nixibus. Demum, cum sensit liquidi æstus adventantem vesaniam, manus natibus meis subjicit, sublevat in æra. Ego furentes artus arctissimis brachiorum alligo complexibus, et femorum tibiarumque alterno volumine, femora natesque: ita ut ejus ab collo penderem vibrata ex humo. Sic pendebam quasi clavo affixa. Dum in longum labor trahitur, iterum non segnem me solvit Venus in Venerem. Temperare mihi non potui quin exclamarem, acriori amoris œstro percita: «Sentio omnes… sentio Junonis cum Jove concumbentis delicias omnes! Feror in cœlum!—Noli,» respondet Conradus, «mortales [pg 214] nos prius deserere, dea, quam Conradum tuum donis Veneris tuæ satiaveris, tuæ feceris immortalitatis et felicitatis participem.» Eodem temporis puncto exundantis seminis humescenti igne genitale arvum conspersit Turrianus, quem Venus et Amor omnibus suis agebant furoribus in libidinem. Hedera non ita nuci hæret circumvoluta, ut hærebam Turriano brachiorum femorumque amplexu conjuncta. Vix perfecerat, adest Conradus: «Quid? me vultis,» inquit, «solum marcescere? Nam Florentini nebulones illi secessere. Nescio quo malus eos dæmon suos quemque exegerit.»

*Octavia.* Quos ivisse velim in crucem, qui ipsi tibi crux fuere per furores suos!

*Tullia.* In proximum exierant lucum tiliis virentem et ilicibus, puro aere vires recreaturi fessas et languidas, pigri et ignavi. Conradus sedentem in thoro his dictis aggreditur: «Homo Germanus, imposturam, quæ tibi facta est ab improbis, moleste fero. Excandescere scias non minus quam Turrianum. Sed dic quid fieri velis, si quidem cordi tibi est. Taces?» Nam tacebam, et abscesserat Turrianus. «Ego,» inquit, «bona fide tibi aperiam omnia.» Et sub hæc subsultantem sibi egregie mentulam, mihi femina aperuit.

*Octavia.* Et sic tibi aperuit omnia. Igitur nec mora, nec requies! Et tibi Herculeæ fortitudinis Heroidi decimum et quartum imperat laborem.

*Tullia.* Non displicebat Conradus, nec admodum placebat: nec negavi, nec dedi. Quod volebat cepit velut a dormiente; nam ne quidem verbum blandienti [pg 215] reddidi. Fatear, Octavia mea: exhausto, tot in conflictibus, vividi in venis sanguinis calore, torpebam, ac si effœtæ mihi vires senectutis juveni et florenti exprobrassent segnitiem semisepultam. Ille vero novum molitur modum, nec ineptum. In sinistrum sibi humerum tollit dextrum supinæ femur; post transfigit ictum exspectantem, non optantem. Femori dextro supinæ injecerat sinistrum. Adacto in intima telo concutere, subagitare, urgere. Quid plura? Dic ipsa tibi.

*Octavia.* Post ad pensum tributumque revocati Aloisius et Fabricius, satisne tibi fecerunt ex animi tui sententia?

*Tullia.* Nullus sit dicendi finis, si curiosius velim omnia sermone complecti. Conradus ad sextum; Aloisius Fabriciusque, ad quintum ille, hic ad septimum; Turrianus item ad septimi concubitus voluptatem pervenere. Ita quinque supra viginti duella una sustinui et evasi victrix: fassi sunt omnes laurea mihi frontem cingi a Venere deberi, cui tam feliciter militassem et depugnassem. Tamen, ne dubites, Octavia: me post tot labores exhaustos, post tantum sanguinis amissum, defecerant fere vires. Vix post vigesimum concubitum potui tollere me in pedes; et tamen victoriam tuli.

*Octavia.* Lassata viris scilicet, non satiata?

*Tullia.* Et satiata, et lassata. Turrianus, ut initium pugnæ fecerat, sic finem fecit. Bravio donatus est me jubente. Obtinuit etiam a me, ortu nobilis et pugnator fortis, ut nomen ederem, hospitium edocerem, et me vellem inviseret. Invisit certe postea [pg 216] frequentissime. Sed me tædium Veneris tam grave ceperat, ut tantum per tres continuos menses semel atque iterum admiserim cupidum et inflammatum in amplexus meos, lacrymis, precibus, obtestationibus exorata.

*Octavia.* Unde id fastidium?

*Tullia.* Lacus facta eram genitalis pluviæ. Vulvæ ligamenta exundans humor diluendo ita solverat, ignem adeo omnem restinxerat, ut ne quidem ulla libidinis per id tempus cogitatio ad libidinem me permoverit. Demum extorqueri a me passa sum, ab amante nitidæ et roseæ juventutis, summum gaudium. Non dedi, nec etiam bene sensi. Verum, hac exacta hebescentis intra fatiscentes lumbos Veneris nausea, ad lusus revocandos et repetendos, qui a nobis procul videbantur abesse, fuimus alter alteri vehiculo. Dicam suo tempore, Octavia, quæ contigere nobis per annum integrum. Læta audies, quæ invidiam; luctuosa, quæ pietatem et dolorem moveant. Raptus est mihi Turrianus Aloisii fraude. Heu! heu! Quæ eum perfidia letho dedit, cur me miseram vitæ reliquit?

*Octavia.* Revoca animum ab hac recordatione ad amœniora. Dic, Tullia, supersunt etiam Veneris modi præter quos ipsa experta es? Venus bona! Quot te in figuras mutasti, ut placeres!

*Tullia.* Quot inflexiones, quot corporis conversiones, tot sunt Veneris figuræ. Nec numerus iniri, nec doceri aptior voluptati potest. Quisque a libidine sua, a loco, a tempore, quam indui figuram velit, capit consilium. Sed non idem omnibus amor. [pg 217] Elephantis, Græca puella, quas in usu esse noverat inter libidinosos, pictis tabulis expresserat, ut jam juvaret «pictas opus edere ad tabellas.» Alia est in concubitu modos duodecim molita, quibus gratiori vector in effluvio perfunderetur voluptate. Dicta idcirco Dodecamincanos. Ævo nostro divini vir ingenii, Petrus Aretinus, bene multas in Colloquiis suis expressit satyrico sale; post pictura Titianus et Carraccius, summi pictores. Sed multæ sunt quæ ad effectum venire nequeant, licet, ultra quam excogitari possit, flexibiles sint coeuntium in Veneris sacra artus et lumbi. Profecto plura in mentem meditando et commentando solent cadere, quam vere fieri possint. Ut impotentis animi desideriis nihil impervium, sic nihil cogitationi exsultabundæ et intemperanti difficile. Quo vult, et qua tentat viam, insinuat se; vel in abruptis invenit planam. Non ita corporibus facilia factu omnia, quæ mens aut bona aut mala suadet.

*Octavia.* Una est via Veneris, si una Venus. Mala sunt et proterva omnia quæ præterea adjecere e suo, dum in furias et ignem ruunt, viri et fœminæ.

*Tullia.* Viam Veneris esse dicunt alii ex Naturæ præscripto, si quadrupedum more prona et projectis lumbis ineatur mulier: nam sic promptius virilem invehi vomerem in muliebrem sulcum et seminis fluctus in arvum genitale:

Quadrupedumque magis ritu plerunque putantur
Concipere uxores, quia sic loca sumere possunt
Pectoribus positis, sublatis semina lumbis.
[pg 218]
Nec molles opu sunt motus uxoribus hilum,
Nam mulier prohibet se concipere atque repugnat
Clunibus ipsa viri Venerem si læta retractet,
Atque exossato ciet omni pectore fluctus.
Ejicit enim sulcum recta regione viaque
Vomeris, atque locis avertit seminis ictum.
Idque sua caussa consuerunt scorta moveri,
Ne complerentur crebro, gravidæque jacerent,
Et simul ipsa viris Venus ut concinnior esset:
Conjugibus quod nil nostris opus esse videtur.

Alii communem Veneris usum, et figuram maxime probant, ut in supinam vir procumbat; pectus pectore, ventrem ventre comprimat; pubes pubi colludat, diffindens rigido conto teneram rimam. Hi jubent ciere crebros et acres mo-

tus mulierem, dum Veneri facit; illi vetant. Sua cuique opinioni ratio. Sed negant Medici pronæ concubitum naturæ convenire, qui partium generationi insudantium conformationi, ut probant, non convenit. Ego vero, mea Octavia, communem usum unice laudo.

*Octavia.* Quidni laudes? Nam, amabo, quid dulcius cogitando fingi potest, quam resupinam amati corporis blando pondere ad irrequietæ, sed suavis, impatientiæ molles incitari furias? Quid gratius amantis vultu pasci, osculis, suspiriis, et patrantium oculorum incendiis? Quid præstabilius, quam amores suos fovere complexibus, sensibus quidem, quos non ætas, non vitium ullum obtudit? Quid utriusque libidini, utriusque voluptati lætius, concutientis et succutientis lascivis motitationibus? Quid opportunius præ voluptate emorientibus, quam flammescentium [pg 219] suaviorum vivida vi reviviscere? Qui aversa ludit in Venere uni tantum alterive sensui gratificatur: omnibus, qui in adversa.

*Tullia.* Sed in his, Octavia, solet accidere, quod videmus plerumque beatioribus usu venire. Quasi pigeat bonorum, quorum cumulantur copia, videas alios contemptis pulcherrimis uxoribus ad diobolares confugere meretriculas, et in putida sibi plaudere Venere. Alios pretiosarum dapum, opiparæ cœnæ capit satietas et fastidium; Falerno et lautitiis posthabitis, vappa et secundo pane ingurgitant se, velut fame enecti. Inassuetis gaudemus, et in vetita nitimur.

Sed ecce noctem, dum ludis tu, dum loquor ego, insomnem duximus. Paucas intra horas surgendum nobis. Juvabit somno refici, et sane requiete indiges. Ita jucunde, Octavia, dormias, ut vigilasti, faxit Venus!

[pg!220]
[pg 221]

# COLLOQUIUM SEPTIMUM

FESCENNINI

*Tullia, Octavia.*

TULLIA. Considamus hic, sub patula ulmo. Vis, Octavia?

*Octavia.* Maxime; et hymenæum iceamus.

*Tullia.* Belle! Nam nudam te nudiustertius vidit comes Alphonsus, et furere cœpit.

*Octavia.* Nudam me?

*Tullia.* Te nudam; nam is palam prædicat, Venereus flos.

*Octavia.* Te pugno petam tam dicacem.

*Tullia.* Ego te oscula tam procacem.

*Octavia.* Præter Caviceum meum, homo me nudam, per ocellos tuos libidinosos! nemo vidit.

*Tullia.* Nullo scilicet Theodorum habes in numero?

*Octavia.* Memini, et pudet. Apage; ut me miris ille sermonum præstigiis, Venus aurea?

[pg 222] *Tullia.* Suspicione assequor quid id sit quod silere vis, nec vis. Novi libidines tuas; per testiculos Veneris! novi.

*Octavia.* Bona verba! Quid vero obtrectas, inepta, de Alphonso? Forte steti, in somnis, ob oculos ejus nuda?

*Tullia.* Intelliges, turturilla mea. Qui Octaviæ vidit animum, perspectos exploratosque habuit mores, et animi candorem, num vidit Octaviam nudam? Per Platonis manes! vidit.

*Octavia.* Scite nugaris. Quam velit Alphonsus dari sibi fruendam intelligo: illam scilicet, quæ animo et mente, non hanc quæ corpore consistit et membris. Quam putas eliget, optio si detur? Cui arriget, si sanus est? Erat in suburbana Eleonoræ villa Alphonsus; convenit et Isabella Menezia, et recens, ut ego, nupta Aloisia Fonseca. Secuta est confabulatio opiparum prandium, sed libera, sed parum pudica; musto madidas judicasses: placui tamen.

*Tullia.* Alphonso tu, Eleonoræ Alphonsus.

*Octavia.* Odi hominis levitatem, odi amorem; nec ad me transfugam ex Eleonoræ castris velim recipere, si bona sim.

*Tullia.* Et magni es puella cunni et animi. O egregiam heroidem, et meliori sæculo dignam, aureoque illo quo mentulæ turgebant bilibres! Sed aiunt, quod in cæteris rebus flagitiosum viderit possit, id in amore interdum posse laudabile videri:

Si violandum est jus, fruendæ amicæ gratia,
Violandum est; in cæteris rebus pietatem colas.

[pg 223] Quæ inter amantes jactari vulgo de amantium dolis et inconstantia solent, hæc sunt omnia non amantium, sed amentium somnia.

*Octavia.* Pulchræ res! Periit Eleonoræ vir abhinc annum, in pugna a Gallis cæsus, et abhinc sex menses ingeniosa, opibus pollens, ætate florens, formosa, deperit Alphonsum. Fassa equidem est, quod amans expetat ab amante, negasse nihil; superesse nihil quod donet amplius, quo beet cupidum juvenem. Laudares? certo scio non laudares, si vellem me optimæ fœminæ, quæ a me sibi nihil timet, rivalem fieri.

*Tullia.* Amo in te, Octavia, generosi hoc pectoris robur. Ut vivis perge vivere.

*Octavia.* Molestum, puto, tibi non erit audire, quæ nostræ ea in confabulatione fuerint dicacitates, facetiæ, lusus, joci; nec mihi erit dicere. Ut consedimus omnes, Eleonora renidens, salax, Venerem spirans, conversa ad Aloisiam: «Agedum,» inquit, «ut tibi placent novæ noctes? Ut colluditis, tuque, tuusque Rodericus, in hoc quo calescitis amoris æstu?» Suffusa rubore puella: subrisit tamen nescio quid molle et subans.—«Erubescis, Aloisia? O pudorem impudentem!» exclamo ego. «Video ejus in oculis vultuque toto meretricios ignes: ceventis murmura ipso audio in silentio pellicis. Quid times, inepta? Ut illic libere agis omnia, istic loquere.—Sane,» reponit Aloisia, «citius pudicitiæ, quæ se ab his sermonum nequitiis puram servet, abstulerit palmam, quam quæ ab omni

temperet sibi voluptatum libidine. Casta [pg 224] est, non quæ casta est, sed quæ audit.—Belle! belle!» subjicit Alphonsus; «utcunque vivat, pudica est cujus pudici sermones, tetricum os. Nihil utique magni interest, et pudicos esse mores.—At enim his sub meis tectis,» refert Eleonora, «semper ingeniosis licent, quæ usquam licent.—Vitam non vivit,» repono, «qui timide vivit. Nam timidos et Fortuna repellit, et odit Amor; primus est felicitatis gradus audere per veros amoris gradus ad felicitatem ire.»

*Tullia.* Non omisisti dicere qui sint isti felicitatis gradus? Et hac etiam via venimus ad summum bonum.

*Octavia.* —«Omnia inter bonos et honestos bona et honesta,» subjicit Eleonora; «ii vero boni sunt et honesti qui supinam vulgi malignitatem diligenti et sedula a se suisque nugis cura averterint, nec ideo minus a stultis vulgi opinionibus abfuerint. Id credas respondisse tibi Venerem ex imis selectarum libidinum adytis.—Generis nos humani quis neget gaudium esse,» adjicio ego, «et lucem et vitam? Si gaudium, melior gaudii pars in jocis, in salibus; si lux, quanta, quanta est lucis amœnitas, quas varias rerum formas, quæ pulchritudinem nescio magis an fingat quam pingat? Quæ non delectat vita, sub falsa vitæ imagine lethi genus est, nec sane delectat absque multo varioque sensu voluptatum. Sunt voluptates condimentum vitæ: quæ si absint momento, fastidio erit. In nobis igitur læta sint oportet omnia, petulca, procacia. Si quæ est mulier [pg 225] severæ frontis, austeri animi, petat, petat illa ursorum spelæa, ursis digna procis! Quis huic belluæ velit homo cultum honoremve adhibere, a qua nulla permanare possit delectatio? Dein, ut frui voluptatibus dulce est, sic et meminisse fruitionis suave est. Sunt qui in voluptatis aut spe, aut recordatione, summam inveniant voluptatem, qui gratiorem sentiant Venerem dicendo, quam fruendo. Per pruriginosum libidinis tuæ nidum! Aloisia, recordando diuturnæ fiunt voluptates, quæ puncto temporis fluxæ elabuntur; sic ipsæ sibi, dum repetuntur memoria, succrescunt. Vis bene beateque vivere? In Veneris hortis lege poma, decerpe rosas. Eruditæ libidini prospere omnia cedunt. Etiam in voluptatis umbra, veram invenies voluptatem, si velis.»

*Tullia.* Quam multa paucis! quam acute! quam apte!

*Octavia.* Quid? Demum persuaderi se passa est Aloisia. Abjecta omni verecundia, mirabiles effutire, nullo delectu, cœpit omnis generis nugarum nequitias. Subridebat Eleonora, ridebam ego; Isabella vero et Alphonsus cachinnis implebant domum.

*Tullia.* Sed risu inepto res ineptior nulla est.

*Octavia.* Abstinuisses a risu? «Cum primum Roderici pugionem,» dicebat, «adactum in corpus ad capulum usque excepi, omnes in eam partem confugerunt mihi mei illico sensus, omnis animi facultas. In proximo cubiculo affines, bono numero, convenerant, perstrepebant. Rem miram! illinc audiebam. Lucebant

cerei, dum subigebar: [pg 226] illinc videbam. Dum perficit Rodericus, dictu mirabile! in cunno tota eram, aut tota cunnus. Si quid in me ingenii (et aiunt nonnihil esse), in eam Cupidinis sedem, id omne, qualecunque est, perpulerat ingeniosa libido.—Quis vero,» subjicio, «neget tecum et tibi ingeniosas esse fututiones, cui tam ingeniosa pars?—Qui me sane,» refert Aloisia, «conventæ opus habuerit, quærat in cunno; illic habito, nec amplis ædibus, crede mihi, Alphonse, nam et credo ego Roderico.—Cum voles, Aloisia, non pigebit,» inquit Alphonsus, «ad has te Lampsacenas ædes convenire, et genio tuo apud te et ingenio frui; si vero locare velis, non deerunt, ita me Venus amet! conductores quovis pretio.»

*Tullia.* Per Jovis coleum! Aloisia ne ipsa investiget et usquam pruriens Venus facetiorem.

*Octavia.* Postea, de arte amandi, de forma, de ingenio mulierum, de mellea complexuum inter amantes dulcedine, variæ fabulæ. Vocata Venus adfuit, sed petulans, sed subsiliens. Favit pellex Dea, exlex, suique impatiens, nisi prurientis. Ita et sales et fabellæ meram puramque ciebant Venerem.

*Tullia.* Vivimus ut amemus, et amemur; quæ nec amari se velit, nec amare, jam sepulta est; jam fœtet pœdore et situ squalida.

*Octavia.* Aliæ pulchræ, aliæ venustæ. Pulchras Natura sua finxit manu; se sua venustæ, per artem et cultum. Illæ suo, hæ velut precario jure regnant. Saxea etiam corda incendunt ad amorem, quæ vere [pg 227] pulchræ.—«De pulchritudine variæ sententiæ,» inquit Alphonsus. «Id tamen fere inter meliores constat, pulchriorem cuique videri, quæ aptius cuique conveniat. Nam, ut non eædem omnibus dapes, sic nec una eademque omnibus hominibus convenit pulchritudo. Quod capita, tot sensus; quot oculi, tot pulchritudines. Sed quæ plurium consensu pulchra appellatur, hæc pluribus oppido convenit creandæ aptior voluptati, aut soboli. Vis uno verbo rem expediam? Cæcas cæci mentulas vocant, quæ sunt perspicacissimæ. Unis fides habenda de delectu. Nam simul, quæ dominis apte suis conveniat, occurrit puella, etiam non monitæ vident; sponte arrigunt: hæc vere pulchra cui maxime arrigitur. Amabat Fridericus, consobrinus ille tuus, Luciam lippam, simam, edentulam; et perdite amabat. Væcordiam objurgabat adolescentis pater.—O pater, o pater, respondebat adolescens, tuere oculis meis, non tuis, Luciam: mutabis sententiam, pater, pulchram dices, et amore meo et omnium dignam.—Nempe Luciæ arrigebat, non ita ceteris, etiam pulchrarum et venustarum laude florentibus. Nam aliis corpus solidum et succi plenum in pretio est; alii vero, quæ paulo habilior sit, pugilem vocant. Sed omnibus olim Græcis placuerunt actæ, crassæ, vegeti et vividi roboris. Et talis Helena erat, quæ inter Græcas perfectæ fuit specimen pulchritudinis. Sed graciles anteponebant Phryges; puellis idcirco suis deducebant cibum, reddebant curatura junceas. Tales Galli [pg 228] amant, non Itali, non Hispani. Atenim corpus habilissimum quadratum est, neque gracile, neque obesum. Nam sicca et exsanguis

nihil alienius a sacris tuis, bona Venus! a roscidis suaviis, a tremulo frictu, a lentis concussionibus, ab igneo tuo mictu. Pulchra, sed sicca et macilenta (si pulchra potest esse, quæ sicca et macilenta) vivum est mortuæ Veneris simulacrum. Quis mortuam velit, nisi e pollinctoribus nebulo unus et alter, inire Venerem? quis vero mortuæ simulacrum? Corinthiorum tyrannus Periander, qui et in choro septem Sapientum cum Biante et Thalete saltavit, impresso in frigidæ uxoris sulcum vomere, Veneri fecit funereus sacerdos.»

*Tullia.* Sciebat, ut cor hominibus, sic fœminis cunnum vivere primum, et mori ultimum; hac adhuc parte vivere posse putabat, quæ reliquis omnibus desierat. Nam et cunno, ut suus motus, ita et sua vita: quæ vivacior, quæ longe differt ab aliorum vita membrorum. Sed perge dicere.

*Octavia.* «Proceri corpus magnæ laudes. Alcmenam, Herculis matrem, commendabat statura alta et procera. Sed optio si detur,» dicebat Alphonsus, «malim breviorem quam longiorem, et laurum arborem quam pinum: quanquam,» adjiciebat,

«Conveniunt voto longa brevisque meo.

»Sed quæ magnitudine exsuperant, tibiarum plerumque ac crurum longæ sunt longitudine: superiorum compositio partium non respondet. [pg 229] Quod meo, mecastor! judicio et turpe et ridiculum. Credas» (ride, Tullia) «affixum altis et summis perticis præferri cunnum. Hæc cui risum non moveat cogitatio, quæ quoties fit obviam Magdalis, venit in mentem? Imam ad usque alvum, si nudam videas (nam et vidi) putes breviorem multo esse, quam est; si tibias et crura, longiorem, quæ tamen est longissima. Sed quæ breviores sunt male audiunt. Nam dicunt nescio quid parvis esse in mulieribus minime parvum. Gertrudis etiam apud Pygmæos brevis videretur. Ceterum illi omnia, excepto medio, membra mirabiliter inter se conveniunt.»

*Tullia.* Scio, Octavia, spelæum subtus est altum et latum, non pipilanti passeri nidum. Annos tres nata supra decem, et omni inaccessa libidini, Alphonso Gusmano nupsit. Atqui in primo complexu patentiorem invenit Alphonsus, quam sit ipsa Venus a Marte compressa. Petulans pollicitus erat, virginis ejulatu, cruentam virginitatis et memorabilem cædem sodalibus. Virgo ne suspirium quidem misit, lacrymæ cæsæ virginitatis sanguineæ nullæ. In lata obambulabat area mentula Priapi popa. Quid faceret? Avertit equum, puellam obvertit in faciem; qua non decebat, summo nisu torquet hastam in puellæ viscera: nec se virgo ab ejulatu continuit, cum rumpi sensit.—«Id volebam,» inquit ille, «ut te virginem scirent omnes, uti ego scio.» Post effundit resupinam, et intermissum in casto Veneris campo repetit duellum. Subagitat puellam præclarissime [pg 230] contremiscentem, subantem, micturientem: utrique feliciter litatum.

*Octavia.* «Sed longiorum,» dicebat Alphonsus, «aut nullæ, aut parvæ puellarum vires. Momento, quasi luxatis artubus, in medio fatiscunt cursu. Impresso altius ad vivum calcari, vix, ac ne vix quidem, tantillo obsequuntur motu. Vegetiores aliæ ut tu, et acriores,» addebat.—«Et Martem,» respondet Aloisia, cachinnum tollens, «fatigatura sim, ut Venerem Mars, mecum si venerit in pugnam; veniat, veniat!»

*Tullia.* Nec tu elumbis es, Octavia; et capilli tibi nigri; scintillantes et nigri oculi, subniger vultus, et membrorum color. Nihil habeo præterea dicere.

*Octavia.* Næ mala es! Mores meos ipsa finxisti. Quid improba objicis quod tuum non sit? Tam similis sum tibi, quam tu mellitæ Veneri. Nihil habeo præterea dicere. Scilicet dicunt libidinosiores esse quibus nigricantibus nitet vertex capillis; si quidem id est, o libidinosas, quibus nigra obnubit sexum lanugo! Nugæ, meræ nugæ! Nam et tu, num flavos habes capillos?

*Tullia.* Nolo te iratam, quæ testiculus es Veneris lævus. Ita est, Octavia; nulla ex colore certa probatio ad laudem. Ideo suus cuique amor. Alii flavum, alii nigrum, ferrugineum alii malunt. Flavi Aspasiam commendabant capilli, et Atticas puellas. Nam, cum Theseus e puellarum numero, quas in Cretam ad Minotaurum advehebat, amisisset duas, totidem suffecit pueros, quorum tinxit capillos flavo colore, ut propius accederent ad virginum speciem. Tingendorum [pg 231] Venus, Cypri regina, artem, aiunt, invenit, quam etiamnum habent in pretio Italæ mulieres. Hic stultis unice color placet; nudum audent ardenti torrendum caput soli dare. Vide amentiam; illum scilicet capillis quærunt per incendia colorem. Atenim Pindaro et Anacreonti aliter visum; Musas ille nigris dicit esse capillis, hic dominam; ille Thebanus, hic Teius: verisimile est Thebanis æstimatum esse, et Teiis; Teium urbs sita in media Ionia. Qui pluris apud cives suos fiebat, Musis dignum putavit Thebanus olor; et eundem commendavit Teius lyricus in domina, quam vult in illa cantilena formosissimam depingi. At vero ferrugineus inter flavum nigrumque medius est, utriusque particeps, sed nigro quam flavo proximior. Puellam, cui capilli præ nimia cura deciderant, consolatur Naso. Nihil dicit speciosius fuisse:

> Nec tamen ater erat, nec erat color aureus illis,
> Sed quamvis neuter, mistus uterque color.

Similes ait illis fuisse

> ... quos quondam nuda Dione
> Pingitur humenti sustinuisse manu.

*Octavia.* De oculis diserto fudit multa suo ore et acuta Alphonsus. Sed erudita es, Tullia; nihil præ te omnino, quæ etiam soles erudite nugari.

*Tullia.* Perfidiosæ, sed deliciosæ, latent amoris insidiæ in oculis. Chryseidi, compendioso Achillis [pg 232] furori, nigelli erant oculi; et Latinitatis deliciæ, Catullus, nescio quam irridet, quod scilicet sit

Nec bello pede nec nigris ocellis.

Minervæ tamen cæsios laudant oculos Poetæ, quibus libertas summa Diis adfingendi, quæ vulgo æstimari nossent et amari. Sed latos et magnos habent in honore: sydera vocant. Bovinos Græci appellant, quales Junoni, et Veneri, et Harmoniæ Amphiarai uxori. Sui immo parvis non desunt amatores.

*Octavia.* Ut in bello sagittarii, quo certius feriant, semiclusis collimant oculis, ita et parvis nec late apertis Amor certius sagittam mittit, certius ferit. Reginæ Isabellæ ocelli erant, non oculi; sed innumera exsiliebant fulgetra, a quibus quæ tuta spectantium corda? Nemo te vidit unquam, Tullia, quin amarit. Nam, quo minores tibi oculi, eo vivaciores, et incautis infestiores incendiarii. De vultus totiusque corporis colore variæ sententiæ. Sunt qui candidas, sunt qui subfuscas præstare putent. Lacteum eum colorem sane laudant, qualis erat Cydippes,

Candida cum misto sublucent ora rubore.

In candido colore præcipua dignitas. Lucem verius dixeris, aut certe et luce lucidiorem emanationem; sed pugnaciores subfuscæ, tactuique etiam gratiores. Candidæ non ita annos ferunt, nec diuturniorem clinopales laborem. Diffluunt illico velut solutis lumbis. Cito flaccescunt, et immarcescunt. Illis juventa senectuti vicina, immo mista.

*Tullia.* Antonina, Isabellæ soror, lactis et lilii [pg 233] candorem superat candore suo mirabili; Isabella subfusca.

*Octavia.* Narrabo (nunquid vis?) cuique quid prima nuptiarum nocte contigerit. Illi molesta Veneris jactatio; huic grata et commoda.

*Tullia.* Sed absolvamus pulchræ mulieris picturam. De ore, labiis, dentibus inter nos fere convenit. Os parvum aiunt esse Amoris miracula fundentis mirabilem sedem. Sed et cui parvum os, eidem etiam puellæ concham esse haud admodum hiantem, et minimo patere ostio inferius hoc Veneris delubrum, omnium hominum opinio est.

*Octavia.* Falsa tamen; nam conquestus est Fernandus Gusmanus se ita esse deceptum. Duxit Fulviam parvissimi oris laude commendatam: at invenit in ea non ostiolum, quo ingrederetur ad dulcia Veneris enitens, sed patentem specum,

qua declivi in paludem quandam Stygiam detrusa est adsilientis mentula.—«O pulchrum,» ait Fernandus osculum figens, «sed tam mendax quam pulchrum os! Fac saltem, Fulvia mea, ceteris in rebus mihi non æque mentiatur, credulo amatori.» Respondit illa:—«Scio sane non esse mentitum, sed quod forte vasa invexeris in ædes meas minutissima. Impingis mihi vitium, quod tuum est.» Risit Fernandus, et perfecit.

*Tullia.* Optime. Rosea et protuberantia molliter labella, ut sunt tibi, Octavia, arcum dixeris, hac in superiori Venerei cœli regione, basiis prægnantem et pugnantem. Dentes albi, lucidi, micantes, velut pretiosæ circa linguam gemmæ, ex ordine compositæ, [pg 234] tuitioni sunt et ornatui. Nam linguam, flexibilitate et verborum volubilitate, quis non miretur tantæ innumerabilium cogitationum, quæ agitantur animo, varietati sufficere unam, et ut ornatius et melius explicentur, quam excogitando conceptæ sunt? Sed et in suaviis scis, Octavia, et sciunt amantes non deliri, quam mellitas pariat petulca lingua delicias. Nihilo tamen minus, id demum maxime verum, quod cuique pulchrum videatur, cuique vere esse pulchrum. Tibi vero, Octavia, os non parvum, et tamen places. Ita et puellis aliis multis depressa labia, dentes nec bene ordinati, nec eburnei, lingua blæsa rancidulum loquens nescio quid: et tamen placent. Sunt qui et luscas amant; nam et luscus Priapus, et lusca mentula, humani generis procreatrix et voluptas.

*Octavia.* Ut delectat ferventis linguæ assultus, cum se extra valli sepem ipsa impetu evibrat in occursum cupiti suavii! Sane cum osculamur alter alterum, ego et Caviceus, tantum non gaudio emorimur, bilinguem si sentio me, si ille se. Est animorum et spirituum, in summo ore, coitio, cum incredibili voluptate, ut alia est corporum in hoc imo, quæ sexum nectit sexui. Dicebat Eleonora, Sarmatarum regina, basium esse Amoris cibum; in os mitti debere, quo vere pascatur puer, aut pueri ludificari querulæ fami, ut de Tantalo fabulantur. Sic et ludit pruriginosæ spem virginis, qui extimis summæ labiis vulvæ mentulam, vulvæ cibum, appellit, non introrsum impellit incubans. Benevola avertat a me Venus hanc amentiam! Nam amori certa hæc est pestis, et [pg 235] lethalis morbus, pertingi, non intingi optata voluptatis saliva.

*Tullia.* Sed etiam exsanguis reviviscit amans ad aspectum papillarum. Visu exsurgit ad vitam lætus et florens, si duræ, si candidæ, si parvæ. Præstabant tamen inter Phrygias, tumidæ, et quæ, ut loquitur Naso, pectus omne habebant; sed pulchriores duræ et stantes, quas adstringens, ait alius, una claudet manus. Demum absolutæ est pulchritudinis, inter ingeniosos, qui hanc effinxere tabulam, ac ab omni eam parte beatam jactant, cui has singulorum membrorum dotes, quas eximias putant, uni contulerit alma molitrix rerum vis Natura. Scilicet, ut sint cutis, dentes, ungues candidi; nigri capilli, oculi, supercilia; rubore tincta roseo labra, genæ, et subtus ungues; promissi capilli, longæ manus, et altum corpus; rursus breves dentes, auriculæ, venter: sed frons magna et lata, lati armi, dis-

sidentia aliquanto inter se spatio supercilia; demum gracile corpus, os parvum, modice hiscens ad exspectatum concha rorem; labia, nates, crura crassiuscula; teretes et graciles digiti, item et nasus, et qui certent cum aranearum filis capilli; parvum caput, mammæ, et pedes. Amant et crines ingenio suo flexos, frontem haud latam, quæ radices capillorum retro flexerit, nares paulo inflexas. Suus, Octavia, cuique gustus ratio. Sed gustus ipse sibi ratio est: aliam nemo præterea quæsierit rationis particeps.

*Octavia.* Scis præcipuas numerari inter Lucretiæ dotes, marmoreas et tumentes nates; scilicet incubanti [pg 236] dulce pulvinar Cupidini, et eidem humanam procudenti sobolem aptam incudem.

*Tullia.* Depygem vocat Horatius, cui nates nullo eminent tumore:

Depygis, nasuta, brevi latere, ac pede longo est.

Inclaruere apud Græcos quæ Callipyges dictæ sunt, a pulchris natibus. Nihil natæ parentibus, locupletes et nobiles nactæ sunt, eo solum nomine, maritos. Nates pro dote habuere; hac satis dote placuerunt.

*Octavia.* Si apto mammæ, altera ab altera, intervallo distent, pluris scio fieri; mihi vero conjunctæ, ut vides, cohærent. Nec ideo minoris Caviceus æstimat. Cum sit et hæc et illa non ignobilis venustatis, alba, dura, dicit, inter lusus et gaudia fescennina, sibi videri minus mirum, alteram alterius amore captam mutuas sibi et continuas figere basiationes.

*Tullia.* Et præterea nihil?

*Octavia.* Dispeream, ni te meis plus oculis amem!

*Tullia.* Et ego ni te plus meis, et ipsis sole et luna, Naturæ oculis! Sed et est interdum papillarum non pœnitendus in amore usus, dum æstuans furit libido. Subrides: habeo confitentem, Octavia mea; et experta es, anima mea.

*Octavia.* Per Veneris concham utramque! pudore suffundi me sentio. Pudet meminisse id mammarum mearum interstitium viam factum esse ad Venerem, tam aut fœdæ aut liberæ mihi libidinis consciam. Pergula est in ædibus nostris, quæ amœnissimas (et nosti) hortorum spectat areas omni florum consitas genere. In ea spatiabamur ego et Caviceus, amplexabatur, [pg 237] suaviabatur, labella appetebat morsiunculis, forebat. Demittit in sinum lævam. «Molior,» infit, «improbum quid. Depone vestes, corculum.» Quid facerem? depono. Defigit in nudum pectus oculos. «Video,» subjicit, «tuas inter papillas dormientem Venerem. Vis excitem?» Projicit, dicens, supinam in torum. Mentulam fervidam, flammescentem (arrigebat præclarissime) interserit mammis. Qui me hinc eximerem impotentiæ? Ferenda erant ultro citroque omnia, et sciebam contingere solitos in amore fatales quosdam et dies et casus, a quibus ipsa ne quidem se expediat virtus. Et cum illo hoste, ut jam manu conserta et utero recusso depug-

naram, postulabat dura necessitas ut et mammis pugnarem.

*Tullia.* Hostem mutinum vocas, tam amicum tibi tuisque desideriis cupidineis?

*Octavia.* Molli manuum nisu utramque conjungens urgebat mammam, quo scilicet lata minus via procurreret sibi nervus ad voluptatem hanc novam. Quid plura? Conspersit attonitam insolenti ridiculæ Veneris imagine, calendi perfudit rore; perfecit. Tunc ille: «Haudquaquam ingratum tibi, columbula mea, fuerit quod mihi amore tuo insanienti longe fuit gratissimum. Num scis, ut hac inferiori hiulca» (digito monstrabat), «hac etiam te esse sublimiori parte fœminam? Igitur et juris mei est, si libido incesserit ex humiliori illo fundo libidinis hos in monticulos tollendæ, id libere facere; unde scilicet Veneri gratior datur prospectus.»

*Tullia.* Altius quoque se tollet, si summa petet.

[pg 238] *Octavia.* Irrumare, morigerari ore, Lesbiari, Phœnicissare, et fellare, id scilicet vocas summa petere? Quot, bona Venus, quæve nequissimi nebulones mentulis suis diversoria et stabula quæsierunt in corporibus nostris, et invenerunt! Atenim vero qui frugi et castus fuerit, hac se fœdari rei tam turpis cogitatione exhorrescet. Absit scelus a voluptate, gratior erit.

*Tullia.* Honestatem qui quærit in voluptate, tenebras et quærat in luce. Libidini nihil inhonestum, cum æstuat et spumosos agit spiritus. Delicias Phædoni faciens et Alcibiadi Socrates, secedebat a Socrate choreas ducente cum tam pulchris amasiis. Qui sunt sapientissimi, non ideo hominem exuerunt et ingenitos abjecerunt humanitatis affectus; nec possent, ut maxime vellent. Sed sensus est humanitatis nullus in homine, sine voluptatis gustu, nisi hebes et corruptus. Is vere est sapiens qui norit dulce esse desipere in loco, et locum et tempus delegerit ad desipiendum. Reliquis sapias semper, et tibi frequenter desipias, ut bene et beate agas. Nam sunt qui amoris incensi œstro, quia sui non sunt juris, dissimulant, Curios et Catones simulant. Palam damnant furiosi, quæ ipsi secum concupiscunt, tremula Veneris gaudia. Prurit et illis mens irrequieta; fatentur ipsi sibi lævo se genio natos, nos dextro et plaudentibus Diis et syderibus. Si sol æternum occidet, quid fiet de Natura rerum parente? Si nulla voluptatis lux riserit mortalibus, quid de homine fiet, qui rerum est summus in Natura apex? Miser et veternosus erit ipse sibi pro sepulcro. Vivus, nec [pg 239] vivus; mortuus, nec mortuus: propior erit morti quam vitæ, in ipsa vita. Demum, qui præstigiosa hæc jactant documenta, num vere dixeris oris infamia laborare?

*Octavia.* Belle ludis in vocabulo. Nam et Philosophi hi morticini dicuntur hircum ore mulgere.

*Tullia.* Mira patrandi facultate pollent, nulla sciendi. In altero omnia læta, in altero multa subtristia. Hic ipse est tuus Theodorus; num nosti, Theodora?

*Octavia.* Quid me, fatua, Theodoram vocas, quæ Octavia sum, quæ immo Tullia? Vis narrationem prosequar?

*Tullia.* Volo; sed et volo nocturnum illum Antoninæ et Isabellæ pugilatum; rem comicam.

*Octavia.* Consobrina tua Antonina, non admodum juvenis, nam annos novem supra decem nata, Maphæo nupsit annorum triginta juveni, et invicti roboris. Isabella annorum quindecim, Remundo annorum quinque et viginti, robusto, vegeto, impigro. Candore illa suo nivem obscurat; hæc subnigra Tunetanis certat mulieribus. Dispares illis prima nuptiarum nocte in clinopale vires, sors dispar. Maritis traditæ, Veneri fecerunt dispari laude. Ad quartam ulla sine ægritudine pervenit Antonina concubitus lauream, primo mulier facta; post non voluptas, sed fastidienti animo et corpori molesta lassitudo; postremum sub lucem, cum adacto calcare impelleret equiso alacer, deficit longum passa animi deliquium. Nonus erat cursori in Cupidineo agone impetus. E lecto sub meridiem egressa, visa est ac [pg 240] si e tumulo educeretur, pallida, exsanguis, emortua. At Isabella subfusca, sed cujus putes in venis liquidos ignis perfluere rivos, melius habebat. Tenelli artus illi et lumbi. Omni se tamen nuptiarum labori præstitit parem imperterrita. Indefessi athletæ crudas indefessa sustinuit vires, et fregit. Inertem sorori ridens exprobrabat ignaviam. Insultabat saliens. «Apage,» dicebat, «ego te junior, nec habilior, fortius tamen feci. Vivo, tu vero exstincta es. Vivis? Primo in conflictu, et fateor, non leviter certe vulnerata sum, sed tamen feci hoc ne se jactarit diu vulnere, qui intulerat. Per Junonem! e summa aggeris mei crepidine repugnantem avertit virginitatem in interius vallum victor. Vastavit instar turbinis omnia. Florem pudicitiæ decerptum delevit. At dum redintegrat pugnam, animos dedit irrumpentis proterva audacia. Conatui restiti masculo. Mox victoriam sibi sensit elabi e coleis. Meum ecce Herculem, Amazon nova, feci quod spernerem, victoria obrutum sua et mea. Macte animo, soror.—Quid vis?» reponit Antonina. «Non levem, ut tu, in principio pugnæ, soror, dolorem tuli, sed qui vix ferri posset, acutum, acrem, lacerantem. Dein, renovato sæpius prælio, tam grave stupidæ cujusdam lassitudinis pondus in oppressos incubuit artus, ut crediderim factos esse plumbeos. Aliquot petebam horarum inducias; negavit Alcides insultans. Itaque somnum non vidi.—Nec vidi ego,» refert Isabella. «Quid de somno loqueris? quid quereris? Nihil habet dulcius somnus vanis illis quidem, sed jucundis Veneris imaginibus, [pg 241] quibus fallit. Audes præsenti et colludenti Veneri nobiscum et in nobis, somnum anteponere, quo fallente, videmur nobis a nobis abesse?—Sed et capit omnium rerum fastidiens satietas, etiam qui maxime amant,» replicat Antonina. «Nolim ego, nec tu velis, ingurgitari, sine fine, nectare, Deorum cibo.—Infelicem vero patientiam tuam,» subjicit Isabella, «et voluptatem sterilem! Impleta es bonis hymenæi; nam hæc vera bona sunt, non bonorum umbra. Id forte malum vocabis, soror? Ab-

sit! næ fabula fies, si feceris.» Ad hæc Antonina:—«Tecum, soror, nolim contra disputare. Illa es in opinione excellentis ingenii Herois; ei, scio, acceptam refert opinioni perpetuitatem suam humanum genus. Quicquid id est, ad tertiam, quartamve, una nocte, palæstram suffecerint mihi vires. Fortiter faciet juventa mea, et juventæ spiritus, et libido. A quinta cœpi, sub Marte meo effræno, sensim sine sensu male habere nauseans. Me sexta, a me velut alienam, et mente motam, proluit et polluit. Abfuit voluptas, doluit cor, cum venit ad octavam, animam ægre reciprocanti. Me mei ad nonam cepit oblivio; perfecit. Nec gemebam, nec objurgabam. Deliquio animi defeceram. Quid demum actum sit, nosti, soror. Præsagit animus infeliciter cessuras has nuptias. Avertat omen Juno! Innuptam vero nolim me, vel si contingat in medio exstingui opere.—Postquam animum recepisti,» ait Isabella, «dic, soror, ut tecum rediit in gratiam Maphæus? Nam quis ignoscat duorum criminum [pg 242] reo, cæsæ virginitatis et virginis?—Dulcibus dictis,» reponit Antonina, «momento abstulit facti acerbitatem. Rem ridiculam! Quo pacto necem intulisse videbatur, revocavit ad vitam. Semel atque iterum usus est mariti jure; nec ulla insequuta est obsequentem pernicies. Ita est, soror: quæ in amore nocent vulnera, eadem et juvant.»

*Tullia.* Illa nocte tyrocinium fecit et deposuit. Nam egregiam nunc esse bellatricem scit Jacobus Ximenes.

*Octavia.* Dixeris facilem, nec minus pudicam; huic pudicitia virtus non est, vitium est. Venusti vidit adolescentis misere vexari animum amore suo: miserta est. Vidit torrentem mentulam; audiit opem obtestantem suam, et miserta est. Non tam Antoninæ castæ et teneræ has dixeris esse fututiones, quam Pietatis, pereunte juvene.

*Tullia.* Non dissimiliter et tu Theodori miserta es, non impudica, sed pia. Honesta sane, impellente virtute, fututio!

*Octavia.* Pudet et pœnitet. Postquam abiit in provinciam Tarraconensem Caviceus meus, ante hunc (ut scis) mensem, me Stoicus convenit Theodorus. «Adsum,» inquit, «particeps ægritudinum tuarum. Doleo relictam te viduam, relictam longo mœrori. Nam ut animi, sic et vitæ dimidium tuæ abstulit secum Caviceus. Nimium, heu! nimiumque felix Caviceus!» Sed, ita est, Tullia, pudet et pœnitet.

*Tullia.* Perge, perge, ineptis. Amplius nihil habeo [pg 243] quidem quod æque ac ego cognitum non habeas: et times induci me in intima conscientiæ tuæ arcana?

*Octavia.* Exciderunt aliquot lacrymæ ex oculis ad Cavicei nomen.—«Dolore meo,» repono, «sicut verius nihil, ita et nihil acerbius. Egeo, nec nego, consolatione, quæ fugientem post Caviceum sistat animam et spiritum.—Sistam ego,» subjicit Theodorus, «et insanos istos componam motus, si vis dicto esse audiens.—Ero, per luctus meos!» refero, «et, ut voles ero; nam honestatis quic-

quid in me est, curis id omne tuis refero acceptum.—Eris?» reponit, «eris? Sed ex animo? Præceptis, et si res postulet, jussis obtemperabis? Morigera mihi morem geres?—Faciam,» adjicio. Tunc ille:—«Si feceris, bonum factum. Post paulo non senties abesse tibi Caviceum. Non erit quod in absentem desideria mittas, et cupiditates convertas.» Ut iterum contestata sum ejus me obsecuturam voluntati, et pollicita sum servitutem servituram, quam vellet:—«Id primum volo,» inquit, «ut jures præstituram quam spondes obedientiam jussis meis, nec abjecturam.» Quid plura? Sacramento, ut voluit, conceptis verbis, obstrinxi fidem timida. Necti me passa sum religione, adversus religionem.

*Tullia.* Intelligo. Cum tenuit jurisjurandi nexu servam factam, pessumdatum est tibi omne jus ingenuitatis.

*Octavia.* Nec mora. Summo extulit se in me imperio: ut perduellem minatus est habiturum, et ulturum perduellionem, ni se jubente obirem omnes [pg 244] ultro servitutis operas. «Hactenus,» ait, «immiti me usa es, in hoc severioris disciplinæ stadio, agonotheta; vapulasti, cæsa es. Sæpe sæpius labores tuos, et constantiæ heroicas vires miratus sum stupens. Nunc facescant dura illa et graviora; quam merebatur castigationem pulchritudo ista cœlestis, insons tulisti; abeant Semproniæ, matris tuæ, doli illi mali, et fraudulenta ludibria! Inter dumeta, et abruptos calles, et spinis obsitos sentes errabas. Quid misera in fata deliquisti? Nunc demum, duce me, viam ingredere facilem et amœnam, qua eas ad felicitatem. Accipe: nos sane homines sumus ut tuus est Caviceus, sed et cautiores quam reliqui, et judicii acrioris, sapientiæ summo sedemus in fastigio. Itaque et nullam famæ jacturam, quæ puella nobiscum luserit indulgens genio, si sapit, timeat; et nullam admisisse flagitii in se labem illaudati credula putet. Omnia, crede mihi, nobis licent, quæ in tuto licent. Decent sapientes, quæ juvant. Ad summam veræ sapientiæ sedem et lucem provecto si gratificeris, deposito pudore, jam non libido id erit, jam non voluptas: pars officii erit, pars boni et æqui.»

*Tullia.* Acute et argute dicebat. Quid tu ad hæc?

*Octavia.* —«Me tibi quid vis gratificer?» subjicio. «Mortalis puella, obsequar mortali numini?» Nec, per Venerem! Tullia, quo hæc spectaret oratio, assequebar. Tunc ille:—«Ego, quem vides ore tetrico, oculis in lethi mœrore natantibus, veste detrita et lacera, corpore toto tenebricosum, [pg 245] quædam sum venerandæ Philosophiæ machina, quidam superstitiosæ Architectonices ludus. Sed me, si velis, ab hac ultro evolverim machina, novus tibi Mercurius. Alter ero et idem. Vis hanc deponam personam? Depone et tu timores tuos. Redde Octaviam puram et putam Octaviæ. Vide errorum nebulas: ipsa te tibi abscondis, lates tibi, nec percipis. Alia es quam videris tibi. Æmulare tot nobiles fœminas, quæ nobis de se, de existimatione sua, de rebus omnibus, ut tibi de suis oculis, confidunt, hominum generi confidentissimo. Spes omnes suas et gaudia in solertia mirabili nostra reposita habent. Id inter nos longe utilissimum et celeber-

rimum Philosophiæ effatum: Gaudere quo quisque maxime potuerit, sed clandestino gaudio, et frui vitæ bonis, ut opportunitas cuique dederit, sed in sinu, nec palam, prudentis id esse et docti. Palam vero gaudere, palam frui, insipientis, stulti, et furentis. Qui caute fecerit, laudandus; qui imprudenter, nec lucem fugerit, in eum acerrime advertendum. Venustis, ut tu es, Octavia mea, puellis eundum eadem via ad bonam beatamque vitam. Non cavent tibi a malevolorum insidiis socordes? Pereant quas omnium perire interest ad exemplum! Vivant, vivant quæ, sagaces, quid sit vivere didicere! Vivant sui similes, stultarum dissimiles, et sua arte et aliarum exemplis! Æmulare Semproniam, matrem tuam.» Tunc de matre mea, ut, usa Chrysogoni consiliis et nervis, lætos et felices duceret vitæ dies, narravit.

[pg 246] *Tullia.* Chrysogonum novi etiam Stoicum, nec esse Theodoro amicissimum mihi id mirum: similitudo utique morum hanc peperit necessitudinem. Non similius ovo ovum, ac Chrysogono Theodorus; sed hic ætate paulo, aiunt, inferior.

*Octavia.* Prehenderat manu Chrysogonus matrem, et in ejus ambo intrarant cubiculum, relicto mecum Theodoro.—«Quid putas,» ait Theodorus, «id temporis rei esse Chrysogono cum matre tua? Id omnino quod tibi cum Caviceo, quod mihi mox, mox, erit tecum. Nam (tua te haud fallat opinio) omnium tibi bonorum, virtutum, et, per Genium tuum! laudum fons ero, ut honestæ tu mihi voluptatis. Enimvero qui videri possit inhonestum, quod a te tam proba, tam honesta veniet, qualecunque illud sit, mihi tam frugi, tam venerabili?» Cum hæc diceret, visus est mihi, fateor, mea Tullia, in alium, nescio quem, sed gratiorem, sed venustiorem, commutatus. Hujus aspectu calere cœpi, cujus antea contremiscebam præ metu. Risit ille Venereum et molle quid, risi et ego; risit et Venus, risere Amores. Audaciorem reddidi, facta audacior. «Ecce tibi,» inquit, «novas nuptias. Ecce mihi novam nuptam.» Sub hæc vidi vestem identidem, qua virile latet spiculum, in tumorem exsurgere, subinde sublevari. Nec a cachinno temperare potui.

*Tullia.* Nec a pruritu?

*Octavia.* Ego sum furore correpta, ut parum abfuerit, nec dissimulem tecum, quin in ejus ultro amplexus volarem, stuprum rogarem. Commotior ille: «Sane,» inquit, «videor mihi conjicere quis [pg 247] sit corporis tui futurus mihi usus, dea mea; haud certo scio. Nam annos quinque supra decem natus, huic me sectæ addixi. Ante annum oculos in mulierem non fixi, et præterea nihil. Audacior essem suasit Chrysogonus, et verbis, et factis: superstitio vetabat, piaculum fuisset pio Stoico. Nullum ab illa die mihi commercium cum muliere, ut nunc tecum est, mulierum formosissima; summo studio puram servavi et intaminatam mentem, et mentulam. Ope et opera mea præposuere collegæ antistitem sibi Chrysogonum. Tanto obligatus beneficio, antequam venimus ad vos, ingenue de rebus suis multa fando explicuit. Dixit in Semproniæ amplexibus invenisse ve-

ram felicitatem, quam quærimus cœlestium inanes. Suasit experiar et ego quid autoritas superciliosa, quid sermo blandus, pro me apud te possent adolescentulam et procacem. Et speravit tam juventam tuam, quam absentiam Cavicei, meis lenocituram desideriis et precibus. Cæterum jussit nervis ne parcerem. Nam, ait, incredibilia sperant a lumbis nostris. Id sumus genus hominum, qui Herculei omnes in Venere sumus. Quo quis diuturniores cum Venere exercuit inimicitias, eo intemperantius et fortius, cum in gratiam redit pacta pace, facit. Habebis igitur, Octavia, Venus mea, amatorem qui officio non deerit impar, nec tuæ cupidini; athletam quem sibi optent reginæ.» Dicens osculum impegit.—«Quid vero istud est?» dicebam. «Quid tibi vis? Hæccine est sapientia tua? hæc tetricitas?—Quid immo [pg 248] tibi vis, insulsa?» reponebat; «vis tuum tibi perjurio contaminari spiritum, contemptrix religionum?—Nolo,» inquam.—«Et agam quod ago,» refert, «et bellissime agam. Te præliaturum vita deficiat prius quam vires!» Sub hæc impellit in lectum male repugnantem.

*Tullia.* Euge!

*Octavia.* Vestem festinus revolvit resupinæ, dextera trepidanti. «Quam commoda,» ait, «dehiscit tibi rimæ cymba!» Vide, Tullia, œstri furorem. In genua accidit, osculatur...

*Tullia.* Quid osculatur? Ohe! ohe!

*Octavia.* «O sacrarium Reginæ Deorum et hominum!» dicebat lambens mediam, «ad limina tua supplex accedo. Te veneror. Osculis interea et ore liceat litare. Audi, bona Venus, et fave.» Tollit se in pedes, dicens, et, o monstrum! Tullia mea, Tullia mea, e carceribus mentulam mittit, mentulam! reginam mentularum! Talem nec ipsa Venus in Marte, nec Lampsacenæ matronæ in Priapo, nec Omphale in Hercule viderunt. Et Cavicei, et Calliæ mentulas, si conferas, caudis leonum crassis et rapidis compares murium exiles caudas. Non mentior.

*Tullia.* Huic hominum generi, cum membra decrescunt reliqua, hoc increscit. Ita, cum aliis hominibus lien crescit, reliquæ corporis partes minuuntur.

*Octavia.* Theodoro maciem objicis?

*Tullia.* Non negaris de Chrysogono.

*Octavia.* Theodori laudem, suos apud Stoicos, nulla ullius laus æquat. Omnes longo post se intervallo [pg 249] reliquit, et mentis et mentulæ gloria. Sed Chrysogonum odi, et non ita æstimat Theodorus. Omnes cogitationes suas, voluptates et gaudia, alter cum altero communicant. Sic dicendo, aiunt, renovant fruitionum grata momenta; sic fluxas et uno caducas momento voluptates, læti et beati per dies noctesve continuant. Væ impurato! matris meæ illudit impotens capiti.

*Tullia.* Irrumat miseram miser? fellat illa morigerans? Cunnum in se quæri patitur Sempronia ubi non est, et inveniri? Impuri oris et spiritus facta est mulier? De Claudia olim dictum, nobili scorto, Coam esse in triclinio, in lecto Nolanam.

Hoc infamabat libidinis genus Nolanas, et Oscas, et Lesbias. Tertia pœna autore *Priapeiorum* Ovidio vocatur. Corvos dicunt ore coire, et huic rei hoc alluditur disticho non ineleganti:

Corve salutator, quare fellator haberis,
Cum caput intrarit mentula nulla tuum?

Quæ primum nata est in Lesbo obscœnitas, omnes fere terras et homines pervasit. Pronior ad hanc erat libidinem Tiberius Augustus natura et ætate. Qui semel usi sunt, perdite amant. Nam ætate provectis non obsequitur mentula, ut, in meliori ætate, vegetis:

Crede mihi, non est mentula quod digitus.

Summa petunt! illic vivit anus mentula; quod negat os alterum, dat os alterum. Exsugi, effœtæ et languenti suave mentulæ. Sed si contus ille pedalis [pg 250] Theodori tui intumuerit, timeo tibi ne buccam offendat, quæ tibi, scilicet, parvissima est: sic etiam illusum pulcherrimis Heroidum. Non se abstinuit ab ore Atalantæ Meleagri voluptas. Pinxit Parrhasius Atalantam Meleagro morigerantem. Eam Tiberius dedicavit tabellam in cubiculo suo, in Larario...

*Octavia.* Dedicavit sed libidini, et impudentiæ impotenti.

*Tullia.* Ideo movent tibi stomachum libido et impudentia Chrysogoni in parente tua. Miror delapsam esse ad id contumeliæ. Miror silentium. Mecum de his ne quidem verbum.

*Octavia.* Omnem turpitudinis modum prætergressa est hæc turpitudo. Venit nudiustertius Chrysogonus ad matrem pomeridianis horis. Silebant et tuta erant omnia. Ut ludit, ut furit: «Hodie mane,» inquit, «novum didici voluptatis genus. E proceribus nostris quidam, nec pœnitens facti, dixit nihil fœdius sibi, nihil impurius videri infima mulieris suæ parte, qua mulier est (et mulierem duxit pulcherrimam); Stymphalidas in illa habitare sentina purulentas: in hac meram Venerem, meros Amores» (ori dabat osculum Chrysogonus.) «Igitur specum fugit illam et odit, quæ exhalat mephitim: purum os amat, et illecebrosum caput. Uni fidit, uni arrigit. Uxor illi tam est ingeniosa quam formosa, sed magis obsequens. Hæc voluptatem agnoscit nullam, quæ non sit mariti; bene sibi est, cum illi; omnibus assentitur mariti libidinibus et paret; ore præstat obsequium. Quid vero tu facies, Sempronia, si rogaverim? Nam si negaveris, [pg 251] negabo et ipse promissi meminisse et fidei datæ. Demum non te fugit pulchrum venustæ fœminæ corpus aliud esse nihil quam vivum quemdam, ut dicere solebat Socrates, libidinum thesaurum, ubi suas homines condant et quærant voluptates, in quem libidinis suæ calidos derivent fluctus. Utrum hoc puro» (osculabatur), «an illo

scelesto» (imam digito designabat alvum) «id canali fiat, quid, amabo, interest? Si officii habebis rationem, delectationis, quæ forte nulla erit, non habebis.» Persuasit, cui jubendi jus erat quod ipsa in se constituerat.—«Heus tu,» inquit subridens, ut surgentem exceptura erat mentulam, «quos et quali tibia modos facere me jubes, in his ludis!» Post mucronem spiculi primoribus capit labiis, lingua involvit, novas subeunti sedes delicias mentulæ facit novas. Præsensit illa affluentes gari Venerei impetu rivos; exhorruit, refugitque. Et hæc, quæ supersunt dicenda, æterno potius tegenda erant silentio. O horribile secretum!—«Non vis, puto, intingi me tanto flagitio,» dicebat mater. «Liquidum ego bibam hominem?»

*Tullia.* Nam in semine homo est.

*Octavia.* Dixerat, et vestes deciduus imber multa corrupit copia. Ille subirasci:—«Ausa es,» inquit, «insana, tam egregium opus perdere?—Ignosce,» inquit illa, «habebis obsequentiorem; sin minus, ut voles excrucia. Si tibi meum quid erit voluptati, utere; satis erit mihi voluptatis, vel in ipsa nausea.»

[pg 252] *Tullia.* Stetit promissis, et liquidos bibit homines? Salsam rem! nam salsa seminis vis.

*Octavia.* Dixisti. Cubavi cum Eleonora nocte hac proxime acta. Facetiarum nidus Eleonoræ lectus. Quam meretricia dixit et fecit! Osculum dedit et gratulata est ori suo, quod in labellis meis legisset cœleste donum, suavium. «Sed quis scit,» ait, «an malæ sint olim servitura libidini? Vereor ne alio fungantur officio, furente Venere, quam suo. Nupsit Mancia, cognata mea, Marino Neapolitano: sulphureis Stygiisque nequissimarum libidinum incendiis torretur Marino pectus. Fœminam vecors quærit in Mancia etiam supra papillas, qua incipit desinitve fœmina. Buccam petit, quasi in eam puellæ fugerit cunnus, aut ipsa sibi bucca in quadam sit cum cunno societate ad participandos Veneris ludos. Objurgabam, quod hanc sibi sexuique fieri pateretur injuriam.—Quid vis? respondit. Abstinet se Marinus ab hac turpitudine? nihil est quod dicam; occupat oris aream libidinibus suis? occupat, et quæ volebam dicere. Non facit? non est quod queri velim; facit? nec queri possum.—Mariti hoc uno placemus nomine, quod fœminæ sumus. Quæ quacunque petetur, se probabit fœminam, hæc omnium maxime placebit. En, Octavia mea, Alphonsi furores,» addebat Eleonora. «Ante hos dies, postquam bis terve telum misit vere militans, et ori applicuit.—Huic, aio, ostio verberando, Alphonse, ista non est apta catapulta. Furis, et me vis furere.—Te furere velim, me nolim, reponit Alphonsus; nam quod [pg 253] me amas, favori tuo debeo, nullo debeo merito meo. Si furere incipio, honorem, quem tibi debeo, forte obliviscar, qui mori malim, quam tibi non vivere.—His movit durum pectus, flexit ad ludibria. Adsilientem appetii libens, semihiulco suavio, flammescentem nervum. Nihil ultra, nam eo mox sponte reversa est erudita mentula unde aberrarat. Cocytium fas nefasve in media perfecit regione, quod in hac superiori aggressa erat impudens.»

*Tullia.* Non esset Eleonora Mellioniæ castas imitata iras; non esset, per salacitatem tuam! Huic se ut probro eximeret, ad Tiberium perducta ferro sibi pectus transegit. Maluit adacto gladio viam aperire letho, quam os olidi senis molli alutæ. Castitatis laudem non auro, ut multæ, sed ferro emit. Elvira et Theodosia (puellas nosti) aiunt se in bucca diverticulum spatienti mutino, amico suo, habere; et gaudent. Unde hæc insania? accipe. Finxerat hominem Prometheus; deerat penis: finxit et hanc meliorem partem e puriori luto. Antequam applicaret, fonte lavit. Dein fœmineum corpus finxit; utrique infudit vitam. Sitiit mulier; eidem labra fonti admovit, et bibit: hinc penis cum fœminæ bucca nata affinitas. Narrant Gonsalvum Cordubensem, imperatorem magnum, cum insenuisset, hoc voluptatis delectatum genere; erat et liguritor, provectæ, nam aliud mihi nihil persuaserint, ætatis vitio. Inserviebat vero libidini formosa viginti annorum puella. Cum vellet mediam lambere, se velle dicebat ire in Liguriam; at in Orientem, cum summa petere, et [pg 254] ori illudere. Sic, cum juventa juveret, si puerum (nam et pædico erat acerrimus) prurienti cuperet peni, dicebat Aversam se cogitare, celebrem urbem: ad nullam sane fervet adeo iter hominibus nostris.

*Octavia.* Libere loquar. Virtutem plerunque vocant, quod animi non tam constantia est, quam contumax ferocitas; non tam optio, quam illusio; cæcus quidam impetus, non securæ mentis rectum judicium.

*Tullia.* Ut fuit Elisabethæ. Erat Franco centurioni nuptura. Audiit Chrysogonum tuum, nescio quæ portentosa magis quam magna in nuptias stoice nugantem. Mutato consilio, et quasi ipsa in aliam momento esset mutata, omnes extemplo de nuptiis longe egit cogitationes. Nec obstinatam amantis lacrymæ moverunt, nec matris preces, non affinium obtestationes; ad Vestales non suo transiit passu, sed rapido aquilæ volatu. Attamen, unum alterumve post annum, pœnituit. Quo se resque suas non viderat oculo, vidit, se miseram vidit, et beatas vidit quæ venirent in hominum amplexus. Ut spes potiundæ primum centurionem inflammarat, demum desperatio acriori incendit desiderio. Sororis tandem ope, fruendæ habet Elisabethæ copiam; prægnans fit. Inter eos convenit; raptam abducit. Egregiam vero pietatem! Facta est concubina, cui per pietatem noluit uxor dari. Egregiam Chrysogoni laudem! Eripuit marito quam raptori dono daret. Nomini comparando student hi homines apud vulgum; non ita laudi promerendæ apud sapientes et graves viros, quibus non est facile fucum facere. Majorem numerum anteponunt [pg 255] meliori, ægrotarum multitudinem sanis mentibus.

*Octavia.* Circumfertur de Livia fabula non illepida. Castitatis laude florebat Livia, antequam Alexandro Borgiæ nuberet, et floruit postquam nupsit. Quoniam ille vi morbi decessit e vivis, decessit et illa ex hominum conspectu. Quo clariori fulgeret fama, in tenebras demens Vestalium fugit. Reliquit mortalium nugas cæcis (sic loquebatur); ipsa veras divitias, contemptis divitiis et honoribus, petiit.

Viva sepulta est, ducente funus Chrysogono. Sed paucos post menses sensit se reviviscere. Eduxit funeratam Chrysogonus ipse e tumulo. Piæ et probæ primus vitium obtulit et intulit; oppressit tantus vir tantam virtutem. Alterius virtus permista est in vasis Veneris alterius virtuti.

*Tullia.* Uno verbo, virtus virtutem futuit.

*Octavia.* Degebat in cœlibe domo juvenis venustus, robustus, membris optime compactis. Operas locaverat hortis colendis. Multa erat cum adolescente Livia adolescens, et hac consuetudine delectabatur. Rumor fuit, sub id tempus, viciniores ædes pestilentia esse afflatas. Diffugere Vestales timidæ; Angela, Brigitta et Livia mansere ædium custodiæ, et cum iis Maxima Vestalis, omnium antistes. Magna in urbe solitudo; turpis rerum facies. Sentiebat Livia se amare Petrum (hortulano id vocabulum), nec pudebat: nec etiam nesciebat juvenis se amari, et triumphabat. Occasio non deerat, sed occasioni locus. Longa non fuit exspectatio. Decidens forte Maxima e summa graduum scala, secum et [pg 256] Brigittam in perniciem traxit præceps casu. Illisæ, vix tandem valetudini bonæ, post longos dies, sunt restitutæ, et recreatæ vires. Interea omnium quæ vellet, libera Liviæ potestas. In Petro magna puellarum spes et confidentia, quod egregiam operam in obsequiis ægrotarum poneret indefessus. Pomeridianis horis urente sole, sodales omnes somnus, quem nocte non viderant, tenebat amicabiliter illapsus. Sola obambulabat in interiori conclavi Livia, multa secum de Petro, de suo amore, de sua infelicitate meditans. Obviam fit Petrus; excipit expansis ulnis advolantem procax Livia. Uterque de utroque cepere voluptatem quæ summa est. Sequenti luce, insidiatur Angelæ Petrus, conscia Livia et participe. Maturæ virginitatis Angela, nam annorum quinque supra viginti, Venerem spirabat et inspirabat, quam oderat. Nec prompta, nec facilis victoria; victa tamen: omnia vincit amor. Bis cum nolente volente conflixit Petrus; at in altero conflictu acriter pugnatum. Peracta re, intervenit Livia: non ausa est suspicere ad eam Angela, pudore effusa, quæ pudorem amiserat; subinde risit nescio quid illecebrosum et petulans. Demum, facta nocte, jussit post cœnam Maxima curarent omnes corpora, somno reficerent. Quid factum? Cum iis medius concubuit Petrus, et sic procurarunt corpora. Cecidit et Brigitta, ut ceciderant; et, quam cum Maxima casus obtriverat, beavit casus cum Petro.

*Tullia.* Quæ te etiam fors manet, bona Maxima? Futuere, futuere. Is debetur tibi honestæ matronæ honos.

[pg 257] *Octavia.* Recreatis utcunque viribus, nihilo tamen minus querebatur Maxima, ingemiscens ad pristinam sibi valetudinem viæ multum superesse. Aderat Livia. «Vis, domina,» inquit, «veloci emetiri cursu quicquid id est viæ?—Velim maxime,» reponit; «quid facto opus?—Primum,» subjicit Livia, «gaude; postea gaude; et postquam omnibus gavisa fueris gaudiis, gaude iterum, et sine fine summo gaude gaudio. Qui luctui datur dies adimitur vitæ.» Persuaderi

passa sibi est Maxima; et sua intererat. Qui cœlos Deorum proci sibi optant, non ideo terras oderunt. Commendant illico omnes Petri alacritatem et festivitatem. Cantus suavitate dicunt placere, et saltationis agilitate, tremulaque lumborum actitatione. Jubet advocari; adest, cantillat, placet.—«Nunc salta,» ait Maxima; «nam saltator es eximius et concinnus. Laudant hæ puellæ.—Sed, domina, quem tibi debeo honos obtundit nervos. Non ausim,» reponit Petrus.—«Puta me,» subjicit Maxima, «ex illarum numero unam: proba te.—Et mihi fiet,» refert Petrus, «nec, credo, pœnitebit saltationis: subagitatricem vocant.—Quæ hæc est saltatio, Petre? non novi,» ait Maxima; «cum fugi res mortales, non audieram de ea; forte non erat in usu.—Erat, sed non saltaras,» infit Petrus. «Qualis vero illa sit non audies, non videbis, sed senties. Saltabis et tu mecum mobili lumbo.» Hæc dum dicerentur, evaserant omnes e cubiculo. Erat Maxima annorum triginta, corpore pollucibili, ingenio micanti. Sedebat in lecto; ut se solam vidit, insidias [pg 258] vidit. Quid faceret? Insilit Petrus in sedentem, dat basium, alteram in sinum, alteram mittit manum sub stolam. Obniti illa, repugnare, vocem altius tollere; sed surda et muta circum omnia: improba mentula vim audet impudenter inferre venerabili vulvæ. Ferocientem Maximæ iram prima hæc mitigavit utcunque insitio; flevit tamen, et erupit in ejulatus.—«Quid tu,» dicebat, «homo nihili, ausus es?» Risit ille.—«Per umbilicum Veneris et tuum! cum scies,» dixit, «hunc cui irasceris Petrum virum esse patricium et tibi affinem, detumescent, et scio, iræ tuæ omnes hi fluctus. Sed faciam pacatior sis, antequam scias. Istum exige modo pudorem, qui voluptates enecat tuas et meas. Res acta est; nec facies quin factum sit, quod factum est. Commenda si sapis, quidquid id est, silentio.»

*Tullia.* Optime.

*Octavia.* Summum post paulo a Maxima cepit gaudium, non extorsit. Pugnavit in medio projecta thoro commodiori situ. Candentem immergit in viscera pugionem Petrus, nec temperavit sibi illa impotens. Spissis terebat basiis subagitantem, fervidis invehebatur succussibus in concutientem. Mox titillantibus prolui se Dionæi fluenti sensit deliciis et ebullientibus amoris rivis. Adstiterunt ad spondam tremuli lecti Livia, Angela et Brigitta, Fescenninos canentes.

*Tullia.* Quis vero is est Petrus?

*Octavia.* De Ponciorum gente, apud Lusitanos nobili et clara. Amabat Rodericus Pontius Margarim [pg 259] Meneziam; Margaris Rodericum pari amore. Aristippus, eadem e philosophorum secta, invidebat Roderico tam pulchram felicitatem. Ardebat miser, sperabat nihil. Quod solent mali, constituit apud animum suum a Roderici avellere puellam amplexibus. Vocanti negat hymenæo; bona multa dolo malo prætexit. Mollem et teneram mentem fascinat præstigiis simulationum. Vestalem induit, Margarim exuit. Eadem invadit febris Rodericum. Ab Aristippo in quam ceciderat ipse scrobem perducitur: huic dat sapientiæ et sectæ nomen. Vide, Tullia, et ride. Annus nondum præterierat;

pœnitet facti, plaudente bona mente et amicis; repetit domum et suos. Interea miserant, quibus potestas erat, Margarim in hanc urbem ad Clementiam materteram. Id olim Maximæ nomen, dum viveret.

*Tullia.* Ah! ah! ah! Non ergo vivit quæ futuit? Ah! ah! Sed sic loquuntur. Bibunt, edunt, futuunt Stoici, et se negant esse in animantum sæculo. Ah! ah! rem lepidam! Se negant vivere. . . . . .

. . . . . . . . . . . .

(Desunt quædam in autographo.)

. . . . . . . . . . . .

*Octavia....* Nam quam Liviam vocant, illa est Margaris, mutato, ut fieri solet, nomine. Hac fraude recepit Margarim, et abditis puellarum pastinandis et runcandis insudavit hortis, solers et vegetus cunnicola.

*Tullia.* Sic Theodorus tuo. Nam reliquisti, ad [pg 260] horti irrigui tui ostium, ligonem Priapo dignum olitore lactantem. Quid, otii impatiens, cessas? quid cessas? Admitte.

*Octavia.* Et admisi. Pertunda Dea, fer opem! Exsultabat gigas mentula. «Putas me juvencam, non puellam,» dicebam. «Quæ posset puella pati? Non patiar.—Macte animo,» reponebat ille, «patiere. Quæ vitulum tulisti, taurum feres. Agedum, dea mea; nihil postea supererit, quod Veneri, quod Junoni invideas.» Dicens incumbit rapido nisu in mollem libidinis sinum. Lenius me vulnerarat Caviceus devirginans. Gemitum dedi.—«Sile,» increpat. Compressi vocem; ille me. O clavam Herculeam! Nam tredecim pollices longa, et crassa ut sibi brachium est: mali loco esse possit in laxa Veneris cymba.

*Tullia.* Ut cuique brachium puellæ est, pati posse aiunt, sine magno incommodo suo, ejusdem magnitudinis in tubere suo telum. Nosti Clementiam, quæ nudiustertius Remundo marchioni nupsit in nostra vicinia?

*Octavia.* Novi: cui et forma elegans et exile corpus.

*Tullia.* Curta Remundo suppellex; quinque ille pollices non excedit igneus caudex. Ea est crassitudo quæ fidem superet. Qui sciebant male actum iri cum delicata virgine, miserescebant; parem esse posse bellatori negabant, cui portentosa machina. Natæ timebat et mater; sed Remundo magnæ divitiæ, summum ingenium. Clementiæ angusta res domi, et erat matura viro, viginti annos nata. Quid consilii caperet [pg 261] mater? Communicat cum Anna Gusmana, sorore, timorem; hæc cum Clementia. «Non te fugit, Clementia mea,» inquit (nam se-

cesserat mater), «quæ tuæ sint futuræ partes, cum Remundo nupseris, id ætatis et ingenii puellam? Sui erit officii, tui et muneris, parte ut tua utatur et abutatur, ut voluerit. Hæ tuæ erunt partes.—Quæ vero erunt,» reponit puella subridens, «suspicor id equidem.—Sed qui tibi jam imminet, Remundus, longo et crasso mulus est ramali. Sua tamen illi Veneris via eundum, per prurientem sexus tui venam, ad plenam voluptatem. Nec id fiet absque diro cruciatu, nec forte fiet. Vide animo tuo, quid tibi animi sit.» Illa timenti similis:—«Scis, matertera mea dulcissima,» inquit, «paupertatem larium nostrorum, et quam sint res angustæ afflictis?—Scio,» reponit Anna, «sed et volo scire, tuaque interest sciam, quam sint tibi angustæ sub stola. Nam suæ si non invenerit Veneri aptam, peribis, et illi et tibi diremetur nuptiarum fœdus. Aiunt vulgo nulla unquam cum fœmina habuisse rem pleno coitu. Patientiam præstare noluerunt, quæ sui erant juris, ceventi et conanti. Tu cogeris.—Et præstabo,» subjicit Clementia, «alacri animo. Sufficiet vires et animos Amor. Amo efflictim; forte lethum non oppetam.—Sed age,» refert Anna, «videam ut tibi Venerei campi æquor patet ad prælium.» Dicens mittebat procacem sub stolam manum.—«Hei, hei! nimio plus,» dicebat puella, «quam honestæ licet, verecundiam fatigas.—O ineptum pudorem!» reponit Anna; ac molli [pg 262] et crispa obnuptam lanugine partem attrectat, cadurda diducit, digitum inducit. Fremere puella, furere non noto pruritu.—«Quid id vero rei est, matertera gratissima?» dicebat; «moves me ad libidinem, quam nescio. Excitas in medullis ignes, quos odi. Desine vexare puram.—Leve id quidem specimen est,» inquit Anna, «licentiæ conjugalis. Sunt artus tibi, et locus ille, qualem fingeret filiabus suis aut optaret Venus, libidinis capax, non hebes. Habebunt se bene et feliciter omnia. Probe es ad pugnam comparata. Fer modo fortiter, nam et fortiter feriet. Tibi utique satius sit laniari in lecto, quam misere vivere in hac hominum luce.» Addit et alia, sed nihil ad rem. Quid te moror, Octavia? Sequenti nocte sex passa est adsultus. Laniata est, nec tamen vocem misit. Tertio penetravit se totum in tenerum corpus Herculeæ clavæ truncus: mulier facta est, belle proluta igneo Veneris imbre. At mane facto carnificinæ imago varia: lintea cruore infecta in eo quem tenuerat loco, cum perfinditur virgo; discissa ipsa, ultra quam alia quævis tulisset constanter. Vix stare in pedes, vix gradum facere.

*Octavia.* Micturio, per pruritus tuos! cum illius memini voluptatis, qua perfudere sensus meos decidui e Theodori tubo in libidinis mea intima incendiarii rores. Persequar narrationem. Supina ad extimam jacebam thori spondam, non opportuno situ; magna vi truditur incoctus Herois ramus: transadigit nihil contra conantem. At vero superexstabat pollices quatuor: ligabam digitorum complexu; [pg 263] ulterius non subibat. O bona Venus! post diffluere cœpit. Putavi omnes undequaque, quæ sunt, quæ fuerunt eruntque in annis, confluere hanc in meam partem bonam voluptates; omnes convenire Veneres, hæc ut mea esset Venus gratior, lætior et amœnior. Putavi cœlestes dulcedines potiorum deliciarum, quas

creat Venus, depluere mea in præcordia e Veneris cœlo. Feriebant liquescentem liquida Amoris fulmina; combibebam calidas guttas ardens in abdita sede. Abscessit jam nihili. Vidi fugitivam mentulam: jam pars sui erat effœta; jam ex heroide pannucea.

*Tullia.* Tu de Theodoro triumphabas victrix. Num et de Chrysogono Sempronia parens tua optima?

*Octavia.* O rem, per facetias nostras, non infacetam! Ridebis.—«Vis nunc videamus,» ego ad Theodorum, «ut lætentur Chrysogonus et mater, ut luctentur?—Volo,» inquit, osculum figens. «Nego tamen Chrysogoni felicitatem, ut maxima sit, cum mea conferri posse. Incredibilem inveni, regina mea, dea mea, in complexu tuo, in suaviis nectareis.—Sequere,» repono, «sed suspenso gradu.» Dissilierat ex asseribus unus de summa contignatione, quæ cubiculum operit in quo ludebant. Ea ex rima, apte diducta, facilis in cubiculum adspectus et in genialem parentis lectum. Hic est campus illis Martius et Venereus.

*Tullia.* Vel perspicacissimas fugiunt sæpe plurima, quæ exitio sunt. Omnia timeas, nihil ut timeas. Periit iisdem petita insidiis Lucia, Manrici Fonsecæ [pg 264] uxor: nam, quæ serva facta est alienæ voluptatis, et sui timoris, num vero periit? Amabat Joannem, qui illi e servis unus, lepidissimum caput. Amabat et una ex ancillis, trucis animi puella. Hæc e superiori cubiculo lateribus strato, laterem movet unum atque alterum. Tabulas e contignatione variis perforat in locis terebello, unde prospiceret in heræ cubiculum. Die, nocte, quod se sperni a Joanne videret, quasi e specula quid in Luciæ fieret cubiculo, unde iras aleret, oculis legebat curiosis amans et amens. Accidit non ita mane evocari ad Luciam Joannem; nam Manricus venatum ierat prima luce, alter Meleager. Audiit excetra, evolat ad speculum: videt Luciam recubantem in lecto, et ita involutam linteo, ut non dubitares quin vellet videri nuda et non videri. Pectus, papillæ, femora, quasi non ex composito, nuda; venter et uteri potior pars latebat. Audi servæ truculentæ tetrum scelus. Procurrit ad Juditham, Manrici sororem, Luciæ dotibus et laudibus infensam; spectare jubet quæ intro fierent. Joannes rogabat dominam miseresceret tam certi amoris, quo urebatur miser. Offerebat vitium, urgebat: illa negabat; pugnabat.—«Te a me vere amari, mi Joannes, sit id tibi operæ pretium. Nunquam vero patiar fœdari me adulteris complexibus: non si reges ament. Quod unum possum, cedo libens. Obtuere ut voles omnes meas dotes; oculi et manus tuæ meis, ut poteris, fruantur solertes bonis. Nihil præterea tenta; operam et oleum perdideris.—Intelligo, domina; quæ tot condonas amori meo,» dicebat Joannes, «omnia negas. Sed et intelligo, [pg 265] perdo operam infelix; saltem opera tua adblandienti perdiderim et oleum.—Faciam si quidem vis,» subjicit Lucia; «ecce lævam meam, utere.» Arrigebat non admodum laute mutoniatus, puer equidem annorum sexdecim. Rogat prehendat mutonem; prehendit ridens.—«Vide,» subjicit, «quam bona et liberalis tibi sim

domina: servitutem servio tuæ voluptati.» Papillis ille Luciæ, post bonæ parti dexteram admovet. Corripiens Lucia commulgebat hircum. Nugabatur hic in cadurdis ridicula digitorum micatione, rectus ad lecti interiorem spondam.—«O manus tua alba et teres,» dicebat, «ut mirabili mihi est pro cunno favens! ut te bearem et implerem felicitate! Urge, urge!» Renidens Lucia irrequieto gnavæ ancillabatur mentulæ obsequio. Ad hæc momento in objectum evomit linteum genialis humoris magnam copiam. Nec iners fuit cum pueri dextera Luciæ congressus. In Venereo gurgite anhelanti puellæ medii digiti fervebat opus; subabat amoris œstro percita; eodem se sensit remitti temporis puncto.—«Agedum, agedum!» dicebat æstuans. Os dicenti præclusit puer spissis suaviis. Excreta mobilibus e lumbis albi et præcocti veneni vis, suavi demulsit titillatione castam adulteram. Gaudiis luctus confinium: sic voluit fati inclementia. Exsultare Juditha et superbire.—«Habeo,» inquit, «vincula tibi et catastam, Lucia. Regnabo, servies. Sequere, Mancia» (id servæ nomen). «Recta eamus ad pellicem; ni consenserit, morietur.» Moverunt Manciam ad pietatem hæ minæ, movente amore.—«Non nego, domina,» inquit, «mereri [pg 266] utrumque aliquantum supplicii. Insanæ quicquid id est adolescentiæ ludus fuit, non affectæ vitio et sceleris contagio grave flagitium.—Videbimus,» reponit, «at tu, sequere. Cum vero ingressa fuerim in id pellicis lupanar, obsera diligenter fores; si feceris, magnum a te abegeris infortunium.» Secuta sunt tum tristia et amara, quum læta et dulcia, scitu digna multa. Interim redi tu ad Theodorum.

*Octavia.* Ut pervenimus ad speculam, videmus Chrysogonum lectum versus, qui in angulo erat, divam suam, nam sic loquebatur, manu ducentem.—«Quid, diva mea,» dicebat, «nunc putas esse rei Theodoro cum Octavia?—Scio,» inquit illa, «nam audivi vocem, ac si vim pateretur, ingemiscentis. Puellam docet difficili via ire ad gloriam, et gaudeo.—Haudquaquam,» reponit Chrysogonus; «conto cubitali miseram discindit. Hinc clamor. Conjecissem etiam fidum sodalem in amplexus tuos: amor non admisit cogitationem, qui in te est meus. Marito irascor tuo et invideo, quod gaudiorum habeam participem. Suasi puellam insidiis petat, sciebam repulsam non laturum.» Dicens projecit thoro corpus resupinum. «O cœleste delicium meum!» dicebat, «osculis instilla amanti amoris furores. Irrita nequitias in me tuas ingeniosa et petulans.—Male sit isti vesti detritæ,» respondebat mater, «quæ desideriis negat amatum pectus, quæ vili segmentata centone, Philosophica caligine tot involvit venustates! Discutiam ego has nebulas, quæ te, lucem meam, mihi obscurant. Quam altius potero stolam istam [pg 267] revolvam muliebrem. Male sit sartori! Quo vestes hæ fluxæ et longæ pacto philosophum decent, quæ hominem non decent? Qui vere homo sit, longa mentula decet, non longa vestis.» Assurgentem viri nervum levibus appetit talitris, miscens suavia. «En,» dicebat, «insultantem pudicitiæ salacitatem; en superbam illam imperatricem mentularum! En, ignava et vecors languet. Ecce

vero, o veternosa mentula, cunnum qui te provocat ad duellum: læva hac mea feciali bellum indicit.—Denuda pectus, regina mea,» refert Chrysogonus; «et potes, quandoquidem fluido illo præcinxisti artus supparo. Expedi papillarum lacteos orbes; et cycladem, si vis ab omni parte esse beatum, dejice. Pulchrior te pulchra eris, si nuda eris. Ornatior es propriis dotibus, quam ut mundo ornatuve egeas.» Obsequitur: deponit supparum et cycladem; interius supererat indusium. Jussit deponi Chrysogonus: defluxit ad pedes, et purpureo pudore suffusæ sunt genæ honestæ matronæ.—«Quo majori cumules ignominia,» inquit, «quid præterea imperabis, o here, cui vendidisse videor animam?» Corpus mecastor illi pulchrum et nitens.

*Tullia.* Scio.

*Octavia.* Impatiens moræ Chrysogonus: «Exuisti vestes,» inquit; «nunc figuram illam, Sempronia mea, qua nosti tantopere delectari me, indue.» Exsilit in supinum, et sedens observat spiculum candens; divaricatis femoribus vibrat ipsa in se sua manu. Tunc Theodorus.—«Hæc me rei imago,» [pg 268] inquit, «implet amore et furore. Abeamus, Octavia mea, res acturi nostras, non saxei.» Abimus; conjicit in lectum, et opportuniori, quam fueram in prima coitione, collocat situ. «Vide, Octavia, quicquid id est» (pilum librabat læva): «cum videris, non invidebis matri Chrysogonum suum.—At subit,» refero, «curiosa libido. Cedo, emetiar.» Credes, Tullia? Tredecim ad summum mucronem pollices longum, minabatur crucem miseræ, crispanti actitatione.—«Metuo vehementer,» aio, «hæc ut ne trabes, ut longa, ut crassa est, mitti possit in contignationem meam. Experiar; sed, per Venerem! subi, non perfringe; illabere, non irrumpe; lude, non lania.» Ostio admoverat catapultam; jam in oppugnatione erat arcis meæ. Tollo femina, impellit balistam: nec tamen movi. Incumbit totis viribus: nec tamen movi. Disjecta, discissa et perfracta intro sunt omnia. Intimus uteri sinus dire pulsabatur, et, enixa vi adacti caudicis, concreta solvebatur arcis compages. Revello pilum a vulnere: vix ligabam ferocientem digitorum vinculo,

Tantæ molis erat!...

Comprimo actutum, magnoque depluit opobalsami imbre; affectum crudo vulnere læsæ vulvæ sinum suavissime demulsit. Mota ad libidinem, incredibili cum titillatione remissa sum. Nunquam, mecastor, addidit mihi, majori cum voluptate, sitiens vulva Veneream ambrosiam. Ut juvit esse, ut est, bibulam!

[pg 269] Ego vero, dato osculo, jam inutile excutio pondus; me læta subduco. Barbam viri ridens fervida capio manu.—«Hac displices libidini meæ,» inquam. «Cedo, agedum, hanc demetam longam, hircinam, aheneam barbam;» et admoveo forcipem.—«Cave sit,» exclamat, «nec feceris; si demeteres, et laudem demeres. Ne feceris, fatua. Nam hæc sapientia nostra maxime in barba con-

sistit, non ita in moribus; barbato hac æquamur Jovi et Consentibus Diis. Nam Medioxumi, et plebs deorum imberbis est. Et decet barba viros graves et excellentes. Decet imperatores hæc barbæ longæ et hispidæ dignitas. Vidi olim, Archimandritæ Sandionysiani ostendente vicario, Dionysii Areopagitæ (nam jactitant) Græce scriptas commentationes ab Emanuele Byzantino Imperatore, ad Carolum Calvum missas dono. Depictus est Emanuel in fronte libri, cum conjuge et gnatis. Sed Emanueli longa barba, et ad medium pertingens pectus. Compactus præstanti arte liber gemmis olim et auro opertus erat; probi monachi aurum et gemmas detraxere, barbam Emanueli non detraxere: aurea non erat. Non defuisset, apud Dionysianos, barbæ aureæ suus Dionysius, ut Apollini Syracusis non defuit.» Hæc Theodorus.—«Nec ego,» inquam, «hunc tibi violabo barbæ honorem. Habeto per me salvum, qui pauper et inops tot me bonis locupletasti, tot Veneris bonæ crispantibus opibus.»

*Tullia.* Nec capere, inepta, poteras totam felicitatem [pg 270] tuam. Sed arrigit tibi ad undecim pollices Caviceus.

*Octavia.* Nugæ! novem non superat. Quid id ad Chrysogonum?

*Tullia.* Pertunda mea! Cur tam bellæ non contingere dotes, vel Calliæ, vel Lampridio! Fruerer, fruerer!

*Octavia.* Enim vero conferre dicebas ad mulieris pulchritudinem, illi ut modice hiet ad rorem concha. Crassioris igitur nulla mentulæ laus, per quam sua cunno laus servari non potest. Utcunque angustum sit id iter, quo ad voluptatem descenditur; res Veneris gratiores nunquam, quam cum sunt in angustiis. Hinc facete dictum a Joanne principe, qui et mastupratorum princeps, in sua sibi manu qualem vellet invenire cunnum, nec laxum, nec salgama exhalantem.

*Tullia.* Et præterea commendant Veneres, qui non omnino inter femina delitescat conditus; novem decemve distet tantum pollices ab umbilico. Demissa plerisque puellis ita fugit pubes, ut aversa videatur ad Venerem via. Difficiles cum illis concubitus. Non potuit Theodora Aspilcueta, nisi posito pectore et sublatis in genua lumbis, devirginari. Frustra supinæ vir insudarat superfusus: operam luserat, oleum perdiderat. Demum sub elato aliquantum colle subsidat, velut sub promontorio, cymba. Hæc si conveniant, quæ pulchra videtur spectanti, et pulchra sentietur ab ineunte. Sed et interdum laborat vitio, quæ arcta est. Nam audivi jureconsultos dicere mulierem ita arctam, ut mulier [pg 271] fieri non possit (sic loquuntur), sanam non videri. Quibus virginale consertum concretumve fuerit, infausti id esse ominis plerumque solet. De Cornelia ferunt adeo arcta genitalium compage natam esse, ut difficillime mulier facta sit. Necatis Gracchis, infelicior visa est, quam felicior visa erat editis. Quæ de obsignata dixere virgine, ea falsa omnia et perniciosæ ad imposturam artes.

*Octavia.* Etiam aiunt os superius testem esse inferiori. Cui enim os parvum loquenti, et esse jactitant os parvum futuenti.

*Tullia.* Nugæ! Et nugæ quæ hi garriunt Amoris geometræ: medium cujusque pedem puellæ mensuram aiunt esse ostii, quo scilicet itur ad divæ virginitatis sacrarium. Nugæ! novi cui parvum os, parvus pes; grande et araneosum jacet spelæum atra inter inguina. Certa nulla constat ratio. Hæc constat: cuique uni probe machæræ convenit hæc vagina; ita Natura est comparatum. Si tenuis machæra, comprimit ultro se vagina laxior; si rudis et immanis (Durandaliam aut Flambergiam adhibe), dilatatis hæc vagina fibris excipit gratulantem gratulans hospitem hospes.

*Octavia.* Se res sic habet, et experior. Statui certe nihil potest, per Priapi coleos! Si roborascenti terribiles ramo omnibus non sunt apti mulieribus, sunt uni et alteri. Habuit prominentissimi penis domesticum Heliogabalus. Onon vocabat. Apud Pygmæos ad pedum pertingit malleolos. Si nostris ad genua hominibus propenderet, nullum putas fore hujus balistæ usum? Erras. Sed enim multo major est [pg 272] hominum numerus, quibus ultra octo septemve pollices non excurrit: hic communior modus. Quid faceres? nec etiam sunt nihili, et nulla in gratia apud Venerem. Aliqua florent, quibus id non est peculii, et hos commendat Hymenæo sua laus. Dux Ferrandus et Vastius marchio magni sunt nominis viri, nec magnæ tamen mentulæ, qua parte viri sunt. Illis conjuges et liberi. Vastio uxor formosa et ardens bello, liberi venusti et summæ spei. Ea crassa est satis mentula et longa, quæ amantis et amati peculium. Ab eo omnia placent, qui vere placet. Maluerim mea in cymba ab amico infigi aciculam, quam ab alio trabalem clavum. Experior etiam ego, Tullia: nam pulchrum in sinu foveo columbulum Dionæum. Puer, cui fingendo Venus et Gratiæ posuere operam, silente nocte ludit in sinu meo: et penis illi nec longus, nec crassus. A nullo tamen majores cepi voluptates; illi sum voluptatis cumulus, et ille est mihi.

*Tullia.* Quis ille est? quid narras?

*Octavia.* A matre accepi dono, pulchros delectum inter pueros. Parens illi Manilia, soror nutricis meæ. Quartum supra decimum annum, a die mensis Septembris vigesima, complevit; ephœbus quem forma præferas Phœbo.

*Tullia.* Vidi formosissimum puerum. Educandum Sempronia dedit Academicis: doctis viris, quæ magna laus est; et probis, quæ plurima.

*Octavia.* Nihil, Tullia mea, te celabo. Nam cum exsudantia e suis corporibus infundunt in nostra amatores libidinum momenta, dicunt se frui nobis. [pg 273] Ita et ego, cum secretissimas animæ cogitationes in tuam instillo, fruor anima tua et te. O dulcem fruitionem! O delinificam spiritui meo Venerem, in hac animorum conjunctione!

*Tullia.* Te credidi, voluptas mea, non alteram esse me, sed unam me. Effudi tuos ante oculos meas omnes libidines, nec puduit. Induxi te in intimas pectoris fibras, nec pœnitet; loquere.

*Octavia.* Audies suo loco. Postquam de pulchritudine amœna dixisset multa Alphonsus, surrexit in pedes Aloisia:—«Vultis,» inquit, «dicam ego quæ censeo? Os ingenuum, nescium fraudis pectus, cunnum nec dantem, nec negantem, mobiles lumbos, ingeniumve versatile, id veram esse pulchritudinem censeo. Censebit et mecum pruriens Socrates.» Cum diceret et rideremus, pultant ad fores. Dii boni!

*Tullia.* Qui pultant?

*Octavia.* Cum Chrysogono Theodorus. Ut vidi, ut perii. Salutavere Eleonoram. Ad me limis Theodorus respexit oculis, et salutavit connivens. Advolat in amplexum Chrysogoni Alphonsus. Me Theodorus, sermonem de sermone serens, perducit in hortos. Laudat formam et juvenile decus; majorem in me spargit florum copiam, quam in hortis erat.—«Cum te video,» dicebat, «amor meus novos concipit ignes. Te misereat mei. Nam beati et læti Chrysogonus equidem et Eleonora res suas agunt; agamus et nos nostras.—Ut valet Sempronia mater?» repono, «nihil habes ab ea dicere?—Jussit,» ait, «commendem tuam tibi [pg 274] valetudinem. Puerum pectabat et comebat. Næ felices, quæ cum illo tam lepido, tam formoso cubabunt!» Tullia mea, hoc me incendit verbum torrente flamma. Sensi intimas uri medullas, et injecto salacine œstro furere mihi Veneris venam; nam ante hos duos menses actos, cum Roberto consuevi. «Exspectat vero mater,» subjicit Theodorus, «e cognatis tuis nescio quam de genere Ponciorum. Robertus rogavit dicerem diligentem esse sibi curam passeris tui, quem commendasti; pipilare uni tibi, et tuum irrequieto quærere sinum volatu. Sed te mei pietas capiat, Octavia. Amore emorior. Quis immunis esse possit qui te viderit, ab hoc vectigali, quod omnipotenti omnes libidini pendimus?» Dum ambulamus, accurrit e familia Eleonoræ servus. Affert litteras. Dicit esse curru ex urbe advectos qui me conventam vellent. Sequor præeuntem, et lego in via litteras. Hæc scribebat mater: «*Mitto, nata, amorem tuum pulcherrimum ad te, amores suos. Extorsit id a me precibus et lacrymis. Nostrum vero transfugit in sexum, sumpta stola, sexui nostro nova lux. Puellam credent qui viderint, et laudabunt: velim nec tu sentias puerum esse. Parce tamen pueri artubus. Quicquid id erit, gaudebo te beate agere. Cetera disces a nutrice. Fruere, et me ama.*» Quæ me gaudia, dicebam apud animum meum, tollent in cælestes! O me felicem, et hoc matris beneficio parem Deabus! Ut vero ingredior interius in conclave, reperio puellam forma divina, comptam, ornatam, in sella sedentem. Sola erat; et vultu mirabiliter [pg 275] ad modestiam composito, salutat prope factam, genibus inflexis, ut nos solemus. Resaluto. Curiosius vultum cœlestem oculis lego: hæreo, puto, nec puto esse Robertum. Quo propior accedo, eo dubito magis. Nam altior longe videbatur, et nescio quid spirabat in vultu virgineum.—«Multi præteriere dies,» ego ad eam, «o Dea, num de cœlo descendisti?» Illa subridet, et in risu Robertum video. Injicit collo brachia, osculatur; osculor et ego: sed quibus, Venus bona! osculis illum

ego, ille me! Advolat nutrix:—«Cavete» inquit, «servorum, qui circumvolitant, malignam perspicacitatem. Mandat mater dicas esse e cognatis tuis unam de gente Poncia, et peregre profectam, religionis causa. Reliqua audies quæ habeo in mandatis. Interim, cavete ne quid excidat vobis, quod utrique pesti sit.—Partes meas,» ait Robertus, «belle exsequar in hac fabula.» Colloquentibus ecce superveniunt Aloisia et Isabella, cum Alphonso et Theodoro. Diana Poncia (id attulerat nomen Robertus ex urbe) mirabili gratia salutavit omnes virgineo more. Puellam mirantur; aiunt esse summæ pulchritudinis, non mortale numen.—«Prima luce,» inquit, «ad urbem appuli, et continuandum mihi cras iter etiam summo mane. At dulce fuit cognatæ conspectu et sermone aliquot frui per horas. Hæc mihi voluptas pro viatico erit, et facitis, per humanitatem vestram, duplo major videri ut possit hæc felicitas.» Fraudem nemo suspicatus est; et ne quis suspicioni locus esset, ad Eleonoram dico currere me, tantæ [pg 276] ne diutius visu pulchritudinis careat. Sequitur Theodorus. Ad Eleonoram imus. Obductæ vero cubiculi erant fores. Nondum se ab Chrysogoni expedierat rabiosis compressionibus. Qua seræ inseritur clavis adhibeo oculos.

*Tullia.* Quid vides? nam et rides.

*Octavia.* Sedebat in sella Eleonora, divaricatis feminibus, revoluta veste. Superequitabat Chrysogonus, et trepidanti subagitabat clune. Inspexit et Theodorus.—«Nunc, o spes mea, misereat meæ te tentiginis, quæ me excruciat. Talis me enecat voluptatis imago.» Ego vero nolebam. Certum erat castam servare me amori meo, et lucidæ nocti.—«Non possum,» refero, «fluor infestat menstruus libidinis sedem. Sufficiet Eleonora tibi et sodali, et jam nunc peregit.» Venit ecce ad nos alacri vultu. Illa ad me:—«Ut tibi, Octavia, risit Venus?—Nec me vidit,» repono, «nec ab octo diebus blandita est ægræ spes amoris. Sed est quod abs te petam, et enixe petam.—Quid id est?» refert, «jam impetrasti. Quid tibi negem, dulcis Octavia?—Bene est,» repono. «Volo commodes mihi veredum tuum et agiles lumbos.—Nugaris, inepta,» inquit. «Quis veredi tibi mei usus, quæ calcar non habes?—Si Theodoro commodaris,» respondeo, «mihi esse commodatum habe persuasum.» Preces miscuit Chrysogonus; rogando vicimus.—«Ergo abite,» ait ridens, «in malam crucem, qui me huic iterum datis permolendam libidini!» Abimus. Theodorus vero his Eleonoram aggreditur verbis complexans:—«Sane [pg 277] cara es Philosophiæ numini sancto, cui hæc contigit una die laus philosophicis duabus mentulis esse opitulatam. Referant tibi et faventes stellæ gratias, quas habemus sapienti tuo et liberali cunno. Continuos, ac qui finem non capiant, voluptatum illi rivos et deliciarum rores Amor depluat, et Venus. Nec finis gaudiorum tibi sit, nec modus!» Dein deturbat in lectum, et in bene unctam Veneris patellam tucetum crassum et succulentum e sua devehit penu incumbens. «Nacta es in me, Domina,» dicebat, «Priapos Lampsacenos tres, Hercules quatuor. Utere: nam tibi non stupent lumbi, et sapit Cherson.—Utar,» respondet

Eleonora; et dicenti fascinum immane ut agit in abdita penetralia: «Me enecas, carnifex!» exclamabat Eleonora. Acerrimis ille subagitationibus litabat: mox explosit catapultam. «Non est id Venerem exercere, sed lacerare perditissime,» dicebat Eleonora. «Lethum misisti in corpus meum, non moly plantam.» Advolo ego, amplector, osculor. Exire sodales. Urbem repetunt, stipe, quam ex philosophico instituto rogaverant, collata, læti ultra quam dici possit. Deponit lecto Eleonora fessos artus, et reliquum in lusibus et jocis consumimus diem. Diana, et cum interrogat et cum respondet, mirabiliter satisfecit; pulchritudinem laudabat ejus Alphonsus, laudabat et Eleonora:—«Quid me,» respondet, «qualemcunque ob hanc laudatis pulchritudinem, donum fluxum et caducum? Non laudatis, quod tam excellens nata sit mihi cognata, quæ Virtuti pro virtute ipsi est. Hoc quo [pg 278] me bearunt Superi, præstantius multo donum est.» Reposui pauca, sed apta. Placuit vero vehementer hæc dicens, et novis crevit incendium ignibus. Sed volo, Tullia, hanc ab origine fabulam exsequi, si velis.

*Tullia.* Ni tuus esset Robertus, meum vellem.

*Octavia.* Nostris eram in hortis cum matre, ante sex menses. Multa de suo in me amore et studio dixit, repetitis a prima pueritia exemplis. «Nunc vero munus concinno tibi,» subjicit subridens, «quod omnium longe rerum superet pretium.» Gratias egi. Paucos post dies, accersit in ædes Robertum. Jubet nobiscum prandere, convertebat nostros in se oculos tot venustatum avidos. Mirabar; nec scienti, nec percipienti mihi gliscebat amor. «Libere colloquere: scio te præstare ingenio.—Quandoquidem, domina, jubes, parum a reverentia quam tibi debeo et ab officio secedam meo, ne inobediens videar, qui sum obsequentissimus, et esse debeo.—Ingeniose respondet,» repono.—«Atenim,» ait, «ingenii quæ credis esse aliquid in me, inspira ex tuo, et erit. Nam in te dextro convenit Jove pulchritudo corporis et præstantia ingenii.—Ergo, Roberte, quæ se suis non probat, pulchra tuis videtur oculis Octavia?» refert mater.—«Videtur, per omnes Deos, per omnes Deas! pulcherrima, et est. Diis amorem, et Deabus invidiam creare possit.—Quid si consentiret amori tuo Octavia,» subjicit mater, «amares?—Amabo,» ait, «quanquam et non consentiat. Nam nihili sum puer: qui tandem fiet [pg 279] ut consentire posset amori meo? Sed locuples est illa et Naturæ, et Fortunæ, et virtutum donis: qui fieri potest ut non amem?—Gratum sane erit,» respondeo, «me abs te amari tam amabili puero. Vis mihi alter esse maritus?—Dedecores mariti nomen,» reponit, «mihi si indideris; servi et vernulæ relinque: studiis erga te meis, ut potero, honestabo.» Finitis epulis rediit ad Academicos, et sensi, cum abiit, aliquam meæ mihi animæ partem deesse. Tunc mater ad me:—«Quid de puero judicas, nata?» Esse respondeo ex Amoribus unum, eumque pulcherrimum, qui ex Veneris gremio evolavit ad nos.—«Num dices,» adjicit mater, «fore beatas quarum in amplexus veniet?—Sane ut futuræ sint infelices,» respondeo, «non video. Hunc sibi reginæ generum velint.» Dein cæcum alebam venis

vulnus, Tullia mea. Tandem post mensem, nascenti amori favit mater optima. Jubet venire Robertum; liberam dat confabulandi mecum potestatem. Ingeniosus est Amor, quem fata instillant. Puer per ætatem nec par amori, nec satis aptus, amore arsit, cujus usum nesciebat. Interea contigit matrem diro conflictari meam morbo. Ut bonam recepit valetudinem: «Ingrata sim,» inquit, «Octavia mea, si, quæ ope et opera tua erepta sum letho, tuis in me benefactis non respondeam meis in te. Tanti pretii sum tibi pollicita munus, quod omne pretium superet; meministi?—Memini, mater,» inquam; «et quicquid a te mihi venerit summo erit in pretio.» At illa osculum ferens:—«Robertum,» reponit, «volo tibi [pg 280] dono dare, quem et Juno optet sibi dari. Erubescis? Novi abs te amari.—Non nego, mater,» refero.—«Hunc tibi educo,» ait, «et servo; volo, dignus ut sit benevolentia tua, excoli diligenter omni virtutum et disciplinarum genere. Hunc tuos in amplexus conjiciam. Sed tener est; de ejus tantum pulchritudine et vita detraxeris, quantum acrius indulseris voluptati. Id fac ne obliviscaris.—Non sum oblitura,» dixi. Tertio post die, quæsivit, inter prandendum, an domi reliqua die futura essem. Respondit in animo esse domi manere. Post laudavit domesticam vestem, qua induta eram libera et fluxa, e subtilissimo lino.—«Nec ista,» inquit, «invidet oculis tuas vestis dotes, nec objicit. Mirifice in ea places: ne mutes.» Dixi non mutaturam.

*Tullia.* Quæ cogitabas cum animo tuo, cum amore tuo?

*Octavia.* Non cogitabam adfuturam tam cito mihi tantam felicitatem. Nescio quid non absolutum dat in manus Attalici operis mater. «Acu pinge quæ desunt, quæ egregia es artifex,» ait. Recessi in cubiculum. Is erat dies vigesimus Maii. Sedeo humili in lecto, sericeo strato vellere. In variis cogitationum nebulis mihi mens ludebat; dubius inter vigiliam et somnum allabitur sopor. Ecce hoc momento intrat Manilia, puerum ad me perducens. Affixæ humeris alas, et pendens pharetra; arcum læva, sagittam dextra gestabat. Cupidinem dixisses, et vere erat.—«Parens me mittit Venus ad te,» ait voce blanda puer, «quod scit a te vinci se pulchritudine: [pg 281] vult serviam tibi Amorum reginæ.—Non servies,» repono, «pulcherrime Amorum; esse si velis ex animo meus, regnabis.—At enim,» subjicit Manilia, «dies fabulis vobis perdenda non est. Secede paulum, formose Amor.» Ut secessit: «Ego et mater tua mancipio tibi nexuique, nata,» inquit, «hunc puerum damus; sed tener est et debili lumbo. Utere, sed parca voluptate; sin aliter feceris, defluet, ut solent flores quos carpsit gelida hyems.—Depereo,» aio, «puerum misera, et abunde erit voluptatis cupidæ et amanti, si sciero vere esse meum.—Parce puero,» dicebat nutrix; «hac hora satisfactum crede voluptati tuæ, si puero eripueris virginitatem, quod ejus sine dolore non fiet. Nam illi mentula obducta præputio est, nec aperiet impune tibi caput reginæ suæ. Promisit se fortiter facturum; quo volueris habere inspira animos, venustatum tuarum et voluptatum ostentatione.» Post alas Amori puero demebat. «Nam volo te,»

dicebat, «constantem esse; nolo ab ejus unquam evoles latere.» Tollit pharetram et sagittas. «Nunc,» inquit, «opus sunt alia tibi tela, aliis pugnandum armis.—Intelligo,» ait ille, «et esse telum mihi sentiet dea mea, quo secum pugnem.» Abiit nutrix, et fores occlusit.

*Tullia.*

Dicite: Io, Pæan, et Io bis dicite: Pæan!
Decidit in casses præda petita meos.

*Octavia.* Delibutus gaudio puer exsilit ad me. «Domina, [pg 282] domina,» loquit, «meæ me nunc pudet ætatis. Quam turpe sit esse puerum, vere sentio. Impar ero felicitati meæ.—Impar non eris,» repeto, «si respondes amori meo, qui tua erit felicitas, tuo amore, qui mea erit. Nihil ultra a te mihi opto.—Sed est,» inquit, «aliquando præterea amatorium. Non bene incipiam tyro, nec graviter perficiam puer.» Consedimus in lecto; tum ego osculor: incendia mittebant, non scintillas oculi mei. Demisit ille manum in sinum.—«Quid tibi vis?» dicebam; «liberius sane agis quam deceat.» Tractat papillas, suaviatur, incalescit; non potui quin amplecterer, ita lepide et festive agebat omnia. Tunc infert sub stolam dexteram.—«Euge,» inquam, «quid hac quæris?—Uxorem meam quæro,» respondet; «isthic habitat.» Risi:—«Sed non patiar id inhonestum,» aio, «si honesta sim.—Tuum quicquam potest esse inhonestum?» refert. «Noli maritum tuum repugnans fatigare. Amori cede.—Cedam,» aio, «tam bello, tam ingenioso Amori. Tua sum, mi Amor; nec amplius mea sum; tibi vivo.» Errabat interea puerilis manus, non docta Veneris viam. Paulo supra genua hæsit; post femora pererravit, et nates læves, Tullia, et molliter tumentes. Nec ultra audebat; pueriliter omnia.—«Scis usum,» ego ad illum, «mi Cupido, corporis tui et mei?—Videor mihi scire,» infit, «sed pro certo non habeo, an certo sciam. Vidi in tabulis pictis Veneris histrioniam.—Dignus eras,» subjicio, «pulchriori quam ego sum. Cape quæ voles, utere, [pg 283] fruere; age maritum.» Educit e carceribus mentulam. «Quid de hac re tam lepida fieri speras?» inquam.—«Quid jubebis id fiet,» reponit. Præludebat, inflammescebat. Sensit sibi facem Veneream ardere et turgere libidine. Genibus accidit; rogat ignoscam, si quid inepte fecerit nec satis urbane. Læva mox resupinæ revolvit ad pectus tunicam, et citus manum admovet pubi. Primoribus digitis tractat lanuginem, scalpit rimam, metitur igneam.—«Dic, sodes, mi amor,» inquam, «quid quærit hic sibi passerculus?» Nam arrigebat.—«Puto,» respondet, «nidum quærere, quem teneo manu.—Sine,» repono, «sine hic evolet.—Et ecce,» ait, «evolat;» et alacri se cursu feminibus inserit meis divaricatis. Ah! ah! ah! ostendebam milvio pullum.

*Tullia.* Per Genium meum! prurit insolitum quid ingeniosa hæc narratio. Mira es nugarum artifex:

In tenui labor, at tenuis non gloria.

*Octavia.* Adhibet anhelans puer pugionem vaginæ.

*Tullia.* Mutinum crassum, longum?

*Octavia.* Crassum ut habes pollicem; longum sex pollices. Fidem habe mihi: convenimus belle alter alteri.—«A regia aberras voluptatis via,» dicebam. Manum porrigo cæco passeri, auspex et dux. Init libidinis viam tenebricosam.—«Nunc fortiter percute, mergere, cæde, macta,» subjicio. «Sic [pg 284] hæc res agitur.» Tunc adegit ensem suo nisu, excepi meo; peni favebam susurro.—«Me læsum,» inquit, «intus sentio; quid vero id est?» Pressit suspirium, et momento subagitare ille, comprimere, concutere. Cevebant trepidanti oculi et mens. Ego succutere, contra niti; sed et subabant mihi, intra pectus, cordis intimæ fibræ. Adulabatur hæc cogitatio voluptati, venisse Amorem in amplexus meos. Innectebam ulnis incubantis marmoreas nates, et micantibus urgebam suavium alaparum velitationibus. Audivi Hymenæum ex fervidis lumborum anfractibus cachinnantem, et anhelantem Venerem. Resoluta sum in effluvium; nondum puer: nec calida suavia et humida, nec blæsa murmura, nec spissas compressiones, nec innumerabiles in una voluptate voluptates satis tibi, mea Tullia, fando explicem. Cogita Psyches cum Cupidine concubitum: is fuit meus cum Roberto. Illi ego pro Anima: is ipse meus est Amor. Tandem connivere puero oculi, attolli, circumagi, deficere deliquio; patranti subsiliebat intro cauda; nova exagitabatur intemperie; intremiscebant comprimenti celeres lumbi; extra se ponebatur, inopina mentis vertigine. «O domina, o regina,» inquit, «elabor e vita! quid id novi?» aiebat. Impingit osculum et momento colliquescit. Postquam perfecit, foveo languidum in sinu. Oscula osculis, suspiria miscemus suspiriis.—«Fuit tibi quicquam meum dulce, marite dulcissime?» dicebam.—«In hac voluptate,» respondet, «omnes sensi voluptates. Vivus es, Octavia, summi boni fons.—Velim tibi esse,» inquam, [pg 285] «sic et mihi egomet ero. Recrea vero exhaustas vires brevi somno. Qui nos viderit, me Cypridem credet, te Cupidinem in matris dormientem gremio.—Non opus illi somno,» reponit reversa Manilia. «Basiorum, sine fine, odoros purpureis tuis in labellis flores legat. Id illi opus est.» Post egregium par perducit ad matrem. Advolat mater in complexus pudore offusæ.—«Quæ hæc est,» ait, «mœroris species? Te pueri piget, Octavia, tam venusti? Pudet, Roberte, libere lusisse in puella tam formosa? Infeliciter cessere hæ nuptiæ? Abfuit Hymenæus? Non favit Cupidini Venus?—Quin imo,» reponit Manilia, «feliciter acta sunt omnia, quæ fieri oportuit nuptias facientibus. Bellissime præliatus est in virgine tua Robertus meus; habes generum, et hic uxorem.—Bene est,» inquit mater; et repetit adulans suavia. «Laudo,» subjicit, «athletas fortes et pugnaces. Cessit utrique victoria.—Sane victum me fateor,» refert Robertus; «Martem pugnando vinceret.—Sile, tam nugax quam pulcher; sile,» aio, «qui prælii refers vulnera, sed honesta.—Sed ipse

proprio mucrone,» infit puer, «vulneratus sum, et tuo balsamo oblitum et curatum vulnus.» Ridebat mater; affertur lauta gustatio. Propinavit mater amantibus et salaciæ; Robertus Junoni reginæ suæ Semproniæ, et Hebæ Junonis filiæ. Id dices, Tullia, a schola ductum, sed et ductum ab amore. Rogavit mater an bene haberet.—«Roga Octaviam,» respondet, «nam, me si ex animo amat, bene habeo.—Bene habes,» repono, [pg 286] «plurimam places.—Per te, dea, veræ subii voluptatis delubrum. Ingressus sum ad vitam, quæ illic condita delitescebat.—Et sane,» ait mater, desiisti puer esse, vir factus es: vexit te momento Octavia ad virilem ætatem. Male, male illis sit qui Verticordiam dictam Venerem, quod ad pessima quæque hominum convertat mentes, mentiuntur! A nugis vertit ad seria; e puellarum et puerorum manibus bullas excutit et puppas, concutiendo, et succutiendo.» Tunc demisit puerum ad Academicos. «Ut in Venere ante annos venit sagacitas, sic veniunt et cani. Nolo puerum,» mater ad me, «ante mensem videas. Nolo corrumpi et insenescere in amplexibus tuis; post id temporis, cubabit tecum. Gaudiis tuis tota nocte potiore. Sed contumax illi spiritus, nec regi facilis; pulcher est, sed etiam ferus. Succensui ante hos dies, quod terræ filius, nihili puer, auderet nobilibus, apud Academicos, pueris æqualem putare se et gerere.—Erras, Domina, respondit; qui carus Octaviæ sum, sum jam nobilis, jam comes, jam marchio, jam sum et dux et princeps.—Jubeo venerari in Larario Superos:—Nullo amplius egeo, dixit, Superum beneficio; superest nihil quod ab iis petam, quem amat Octavia.—Hortamur incumbat assiduus et solers litteris. Respondet scire se abs te amari, præterea velle scire nihil; qui sciat tibi se placere satis doctum esse.» Ad hæc ego.—«Facio nocentem, mater, et per me veniam consequatur.» Ergo advocatus est domum præstituta die Robertus. Cœnavit nobiscum. [pg 287] Finitis epulis:—«Cubabis,» mater ad puerum, «hac nocte cum Octavia. Sed hanc dico legem: caste et pudice agitetis noctem. Legem accipis, Octavia?—Accipio,» inquam; «sed lex hæc stat in ancipiti.—Interpretem agam,» reponit Robertus.—«Et volo agas ut commodum tibi erit,» ait mater, «dum tamen, ut fit, interpretando non corrumpas, non aboleas legem.» Cœnavimus opipare, et magna matri cura in cœna optimis muniri dapibus Roberti armamentarium: nam a Cerere et Baccho Veneris arma. Procuratis corporibus, itum ad quietem.

*Tullia.* Item ad pugnam. Sed disputat de opportuno Veneri tempore Cheronæus, ut ne vires infringat. Cum lungo refectæ sint somno vires, indulgeri posse Veneri ait, experrectis anima et sensibus. Sed stulte facere opinor barbatos illos philosophos, qui prurientibus audent mentulis leges scribere et cunnis, uno decumbentibus in lecto. Scribant et de sistenda cœlorum vertigine: nam ut cæca mentula, sic et surda est. Nec illi dantur verba. Socrates aut Zeno qui non riserit, suos si inter discipulos arrectas viderit stare mentulas, arrectis auribus, si viderit Priapum et Conisalum diva Philosophiæ præcepta aperto auscultare capite? Præclarum spectaculum! Ut cyathos numerant pueris nutrices et bibere

ultra vetant, sic et inepti suas mentulis fututiones et ultra vetant. Cur et non leges in medium posuere miseris mortalibus, et despuendi et scabendi? Num satis infelix hominum vita sævis visa mentibus, nisi rigidæ induerent catastæ sensus [pg 288] et animam? Fatuis, Octavia, irascor homuncionibus. Nam si audaciam effrontem ademeris et gravitatis falsam speciem superbientibus, nihil præterea invenies quod lixæ non sit, et mediastini in lutulenta plebecula. Illis nec genius nec ingenium, sed audax stoliditas et irrequieta ignavia.

*Octavia.* Aloisiæ maritus, suadente Pelagio, id consilii ab hinc quatuor cepit menses, quod sanus laudarit nemo.

*Tullia.* Quid consilii cepit?

*Octavia.* Decima tantum nocte salacem init et libidinosam, reliquas cœlibes in lecto agit; vidua prurit, cui non vivit maritus. Et superstitiosus factus est Caviceus: mecum est infrequentior, nec impune tulit. Sitienti si non dederit bibere, cui id muneris erat, probro quis verterit sibi dedisse ipsum, aut a quovis cepisse dante, sitientem?

*Tullia.* Marina Genovefa Pimentelia, alieno ære merso opibus clara, Federico Mendozio nupsit. Induxit hæc in animum, annis et specie florens, semel atque iterum corporis sui singulis facere mensibus copiam juveni. Nec movit adolescens amore ardens puellæ animum. Quos tulit virtus inepta fructus? Scelera peperit. Omnes, intra mensem, uxoris ancillas quinque numero corrupit Federicus: utero gerunt. Quid Genovefæ Lionella mater? «Tu ipsa,» dixit, «lenam egisti infelicibus puellis; tuo periere lenocinio. Virtus hæc tua tetrum desinit in scelus: pietatem credebas amens, lenocinium erat.» Vim timens sibi Galliena a Luitprando marito, subligaculo corpus nocte induebat, ita consuto, ut [pg 289] nulla pervium parte esset, nec peti posset. Similiter domum implevit libidinibus adulteris. Age nunc, o supina et inconsulta sapientia, illude incautæ facilitati! Quos edis ludos pollens dolis? Sed hæc ad mores pertinent, quæ hominum figmenta sunt. Natura ad Venerem alii proclives, alii segnes. Quorundam vix sedarit taurus famem, ut de Milone Crotoniata ferunt; satis aliis est mica panis. Aliis cyathus sitim exstinguit; aliis ne quidem triental. Eodem jure, sive edant, sive bibant, omnes conseri homines, quid injustius, quid stultius? Ita sunt quibus ad decem dies infringit libidinis nervos coitus unus; aliorum vero ardet, nocteque dieque, in medullis invicta libido: uno irritatur coitu, non mansuescit. Hæc pendenda erant ea in trutina, et libranda ab hoc examine. Ætatis et habitudinis habenda erat ab his pecudibus ratio; sed ratione duci non solent. Medici fatentur certas nullas posse induci leges. Naturæ tamen convenire putant primum valetudinis curam non negligi. Bona sine valetudine, vita sepulchrum vitæ est. Igitur damnant Epicuri sententiam, morosi hominis, ad vitam Venerem non pertinere, nec felicitati conducere. Noxiam tamen aiunt pueris et puellis, qui ad perfectam ætatem non pervenere, et provectæ ætatis senibus, qui jam a vita decedunt, si sit frequentior.

Uno quoque mense et his et illis colenda semel Venus in illa ascendente, et in hac labente ætate. At cum floret ætas, vigent nervi, firma sunt latera, ad quartum quintumve duellum descendi, sine ulla valetudinis læsione, potest. Apud Lacedæmonios lege cautum, quisque ut vir ostenderet quinquies [pg 290] se per mensem uxori virum esse, quinque militaret uxori congressibus. Nam ducebant etiam uxores, qui non adoleverant, nec tamen ab hoc immunes vectigali. At enim ignavus est et impius, qui altero quoque die Veneri non facit, si nihil ultra lumbis et lateribus exspectet ab annis. Uxorem duxisti, o tu quisquis es; debitor factus es uxori: solve, malæ vir fidei, solve quod debes. Solve, aut cede bonis, et bonorum potior pars uxor. Duriora excogitavit marcescentium Philosophorum amens meditatio, sedula stultitia. Ride, Octavia: leges tulit quibus rite et honeste, ah! ah! ah! subent et ceveant. Vetant veternosi rapidos cieri motus; vetant novas indui figuras. Castam et honestam negant esse posse

> ... ingemente quæ thoro,
> Juvante verset arte mobilem natem.

O graves et sapientes legislatores! Audisti de mulierum Senatu Romæ? Vocabant Senatulum. Claræ nobilitate et usu rerum matronæ senatorio fungebantur munere. Conveniebant, disceptabant de rebus nostris. Erant earum judicia ac si sancita essent jure publico. De lumborum officio, de figurarum varietate, de vegeta inertive libidine, consultæ venerabiles matronæ a Messalina Claudii imperatoris et omnium uxore, sic censuerunt: [pg 291] «*Quandoquidem constarent intima et extima in homine omnia septenario numero, et homo fingeretur coitu; si ad septimum una nocte eatur coitum, id jure fieri, nec ultra peti posse. Qui velit mulierem non moveri, Venerem mortuam velle: mutuos motus Veneri esse pro anima. Figuram quæ cuique commoda esset, probari. Id jus in omni Amoris regione, quod amor mutuus constituisset, servari debere. Summum in amore imperium ad voluptatis numen pertinere; illius esse leges condere, et conditas interpretari.*» Id fuit Senatus consultum, Octavia. Itaque plures, una nocte, peragebat Messalina viros indefessa. A nullo unquam exegit stipendium, quod sponte quisque non inferret. Die facto, quatuor supra viginti e myrto et rosis corollas Priapo, Marsyæ et aliis ridiculis Diis dedicabat victrix: erant singulæ parta victoriarum præmia. Theodora, Sigismundi imperatoris uxor, Messalina altera, lumbos et artus heroum suæ ætatis frangebat in hac palæstra: uno hippubinos et lastauros hauriebat, vorabat succussu. Sempronia, mater tua, duodecim cum Chrysogono confecit vehens curricula, uno spiritu. Palæstritas tenera ego fortes confeci quatuor intra paucas horas. Sed ita est, Octavia, hebescit et stupet, post sex septemve pugnas, si acriter pugnatum sit, exhausta Venus. Ultra honesta non vivit libido. Similes dicebat Victoria, consobrina mea, eas fœminas quas nulla caperet Veneris sati-

etas, vinosis illis ganeonibus, quos musto non madidos, quos nulla siccos videt dies: ut his in Baccho nulla, sic illis nulla in Venere voluptas. Pessimæ assuetudinis et hos et illas misere vertigo agit. Ideo putres non commoventur; acri attamen hilarescit motu Venus. Ceventis concussu, subantis successu, eliciuntur calentes ex utriusque [pg 292] corpore igniculi; si absint, friget Venus. Sic superest libido sibi, sic læta reddita letho.

*Octavia.* Cui bellum videri possit cum marmorea rem habere Phidiæ Venere? Cui imbellis placebit Venus, et id placebit.

*Tullia.* Nugantur, nescio qui inepti, in umbilico sitam esse et sedem habere libidinem. Utrique sane et viro et mulieri, in motitatione, subagitatione, frictu, concussu et succussu, vere consistit. Sed sua est ars et ratio his commotionibus: ut principio lente surgant, post ferveant, demum desidant, ut, pacatis post tempestatem ventis, commoti desinunt fluctus. Sunt hæc tua, cujus in agilibus lumbis laus micat mirificæ mobilitatis. Nec Thais, Octavia, hanc præripuerit tibi laudem. Sed quod ad figuras, censeo ego quidem liberam cuique esse figuræ facultatem, quæ concinnior videbitur. Nemo narrando dixerit figuras omnes, nec posuerit ob oculos pingendo. Mutari amat Proteus Amor. Rabiosi illi Solones de his sermonem haberi, tabulas pingi inhonestum latrant; damnant. Sed de omnibus duelli et pugnæ figuris disputari non damnant. Quibus itur ad perniciem humani generis, non stomachantur; quibus ad procreationem, irascuntur. O feras bestias! malunt interire variis artibus humanum genus, quam nasci. Laverniones luctum amant et lethum; lucem odere et vitam. Quæ dementia! quæ impotentia! Sapientiores Lesbii erant, inter Græcos ingeniosissimi. Nam Sappho Lesbia fuit, decima Musa. Varias, etiam non suetas, in Venere figuras insculpebant nummis, quos publice cudebant. [pg 293] Publicum id erat authoramentum. Vidi ego Romæ, in domo Ursinæ, nummos duos, alterum ex ære, alterum ex argento, in insula Lesbo, ut dicebat, cusos. In altero Sappho nuda, cum nuda puella, tribadico confligebat duello. Vir nudus in altero, dextro nixus genu, puellam sustentabat nudam, et pilo figebat, divaricatis femoribus faventem.

*Octavia.* Ille, genu flexus, Veneri supplex faciebat.

*Tullia.* Hæc lumborum nisu petebat cœlos, sublata in aera. Per nummum oblongum Venereum tuum! Octavia, his ex nummis ars petita talium figurarum, ut ex appensis tabulis in Æsculapi et Apollinis templis ars medica. Hos præ oculis, mea me si non fallit opinio, habebant, et in manibus, Elephantis Milesia, Philænis, Hermogenes Tarsensis, qui scripsere his de nugis eruditos libellos.

*Octavia.* Aiunt vero Elephantida apud Milesios probam et pudicam fuisse matronam; sed quod ingeniosum, inter litteratos, cepisset inimicum, hunc impudicum perscripsisse libellum, et matronæ nihil tale cogitanti adscripsisse suppositium partum.

*Tullia.* Sanus non est, qui cum eruditis exercet inimicitias. Ulcisci suas possunt injurias, per omnem ætatum æternitatem. Quas pingunt tabulas, annos illæ ferent quos Zeuxidis et Apellis non tulere; ab annis vires capient et dignitatem. Sed et est Italos inter homines divini vir ingenii, qui his de ludicris amœna conscripsit Colloquia. Demum, ut [pg 294] ex omni terrarum parte itur in cœlos, sic ex omnibus muliebris corporis partibus et inflexionibus summam itur ad voluptatem, Veneris cœlum: non una via itur. Labella rosea, papillæ niveæ, manus lubricæ, nates læves et teretes via sunt ad meliorem partem; et posticæ qui Veneri faciunt, in anticam veniunt litatum ædem.

*Octavia.* Apage, apage his a spurcitiis. O cœnosam libidinem!

*Tullia.* Nec Oceani aquæ eluant, nec Phlegethontis ignes. Non, si terra miscebitur Tartaro, satis supplicii scelerati ferent pædicatores. Portentum! Rem ausus est clari vir ingenii, Joannes Casa, pulchro libello tam fœdam commendare. O tempora! o mores! Nam Italis fœcunda est facetiarum seges in hac libidine. «Sunt variæ rerum species.» Alii puellam quærunt in puero; alii puerum in puella: alterum in altero sexum. Male pereant perditi! «Vir nubit in fœminam; Venus mutatur in alteram formam.» Scantinia jam lege id apud Romanos turpitudinis erat damnatum. Sed pæderastas mutari post fata aiunt Pithagoræi in scarabæos. «Honesti Colei Lanuvini; Cliternini inhonesti.» Vetus id adagium. Male pereant qui amoris arma malis his artibus in Amorem converterunt, qui Venerem perdidere per Venerem! Cotytto his Dea, Opici his magistri. Omnia inter animalia homo solus illudi corpori suo patitur; tantum non publice prostat. Audi Plinium: «Uni animantum luctus est datus; uni luxuria, et quidem innumerabilibus modis, ac per singula membra.» Et alio in loco: «In hominum [pg 295] genere diverticula maribus excogitata; omnia scelera Naturæ.»

*Octavia.* Et crescit novo scelere indignatio mea. Accipe insidias. Formæ florentis difficilis tuitio.

*Tullia.* De Roberto intelligis?

*Octavia.* Finita, ut dicebam, cœna, voluit mater Robertus et ego libere colloqueremur. Secessit; consedimus. Tunc ille:—«Ecce me, Dea mea, alieni spiritus afflatu contaminatum. Parum abfuit quin reciperem me ad te uxor factus.» Vultus dicenti rubore suffunditur. «Amat me Joannes Ludovicus Vives. Quintilianum vocant. Amant Academici reliqui; nihil præterea dicunt in vita esse quod ament. Varium est et dolis aptum amoris ingenium. Jacebam pronus in lecto, nocte concubia. Invadit Ludovicus; palpabat nates, somno solvor.—O quales optet, dicebat, mœchus Ganymedi Jupiter! Tales nec in Hyla arsit Hercules, nec in Antinoo Adrianus. Tales erudita præferat libido Hebes niveis mammis et pectori. O si commodentur Veneri meæ! malim quam ipsam Venerem.—Suspirium duxit, osculum impegit. Offerebat stuprum; repuli; minatus sum conquestum in me intentatam injuriam.—Sed, pupule, adjicit, Margaris meos non sprevit æstus, sodalis

tui, sub his tectis, Roderici marchionis soror, pulchra, nobilis, ingeniosa, litterarum amans, sexdecim dea annorum. Hæc non sprevit amores meos.—Basium dedit, veniam petiit, abscessit.»

*Tullia.* Homo est venustus Ludovicus Vives, urbanus, doctus, nec ætatis provectæ. Scies quid factum [pg 296] sit cum nobili virgine, et ridebis. Qui odio indicto aversi fugiunt à puellis, velint nolint, fugiunt ad pueros. Genuit Amori Amor homines et fœminas; genuit sibi. Amore per Amorem sati, Amori nascimur. Infunditur Amor cum sanguine in venas. Tolle Amorem e rebus, et res e Natura tolles. Amamus vel inviti, ut amamur. Hinc fit, ut qui nolint amare quod licet, ament præcipites quod amare turpe est. Nosti Justinam Gomeziam, magni inter Vestales nominis? Amat perdite Alphonsinam Albuquerquiam, Joannam Meneziam, et Antoniam Castrensem, eodem in contubernio. Ut amat, amari se non negavit. «Hæc adyta,» dicebat nudiustertius, «quæ credunt consecrata pudicitiæ, pulso Amore, pervadit alia sub forma Amor. Obnubimur velo: obnubitur nobiscum Amor. Fallit oculos, nec videtur. Vivit in medullis, latet in venis. Perfluit venas sanguis, in nostra nec est potestate quin perfluat. Incendit Amor venas, nec nostra est in potestate quin inflammante calefiant Amore venæ. Quandoquidem ultra non licet, amamus inter nos, et amamur. Animæ cibus Amor. Sunt qui sitim ut sedarent, lotium ipsi suum biberunt: sunt qui, adurgente fame, sua ipsa membra morsu laniarunt. Non dissimiliter, si fœmina viro, si vir negatur fœminæ, ardebit vir in virum, fœmina in fœminam. Qui Natura ferebatur Amor in alterum sexum, interclusa via suum incestabit. Exoneranda est tibi vesica: vetant? meies tamen. Vestes fœdabis, si desit matula. Et mulier matula est. Micturit tibi amor: scelus est micturire? nihilo [pg 297] tibi minus meiet Amor. Quot insaniunt in hac libidine pudicitiæ, quam avari aut erroribus ebrii probant, Natura non probat! Venustis illis et aureis temporibus, rari erant iique affecta ætate, qui hoc profiterentur sapientiæ genus. Morum habebatur ratio. Rem ridiculam! A sene effœto et marcido qui adolescentis operas et pensum exiget, non sapiet: qui juventa velit florentem et viribus pigra mersum videri senectæ hyeme, sapiet?» Sed perge dicere, Octavia, meliori nata sub sidere.

*Octavia.* «Per oculos tuos, mea sidera!» dicebat Robertus, «cavebo diligenter ne quid admittam in me flagitii. Novam mihi nova virtute creabo laudem. Tuus merebor videri.»

*Tullia.* Clamant multi nitentibus ad virtutem adolescentibus obicem esse consuetudinem cum puellis. Næ cæcutientes errant. Vidi quos honestarum, ut sumus, usus ad meliorem convertit frugem, cupidinarios, aleones. Invenerunt, cum voluptate, veram honestatem. Quod ipsa non fecisset per se virtus, hoc fecit auxilio. Placuit virtus qua se noverant placituros. Erant corruptissimi in urbe vicina adolescentium mores. Damnavit mulcta indicta Senatus meretricias libidines, lenonum artes; sed facilius sine aeris quam fœminarum usu vixerint adolescentes.

Convertunt ingenuas in puellas oculos et amores. Excipiebant, parentum jussu, læto vultu qui ad honesta tenderent; contemptui habebant qui mutari nollent. Ingeniosæ mulieris suadent illecebræ, quod Plato non suaderet. Annus nondum, [pg 298] præterierat; mutatis repente moribus evasere in masculam virtutem, Epicuri de grege porci. Prælucente spe, quam ocyus concipit qui amat, quo non sequetur virtutem, vel ad dumeta ducentem, vel e scopulis vocantem? Alter per alterum mitigandus sexus, non alter semovendus ab altero. Præeuntes sequentur viri fœminas, vi Naturæ ducti. Si sint bonæ, duces erunt ad laudem; si malæ, auspices erunt ad turpia. Nunc sequere orationis filum.

*Octavia.* «Enimvero amore emorior,» dicebat Robertus. «Cur tandiu meam mihi invidet Sempronia felicitatem?» Audiit mater.—«Non equidem invideo,» reponit, «sed delectatur mora Venus. Amoris voluptates mora crescunt. Volo vobiscum liberaliter agere. Ite cubitum, ite.» Et subrisit.

*Tullia.* Intelligo. «Ite ad coitum,» dixit; «ite ad vitam.» Classicum canit ad pugnam.

*Octavia.* Utrumque osculata est. Dein duxit Manilia ad pugilatum. Veste exuit, nudam collocat in lecto. Insilit Robertus. «En mihi,» loquit amplexans, «summum bonum, omne bonum.—Et bene sit,» ait Manilia, «beatis amantibus! Nec hos exstinguo cereos, Roberte; triumpho non deerit tuo lux quæ debetur.—Et sane,» reponit Robertus, «tenerum formosæ puellæ corpus currus est triumphalis Amoris. Hoc ego tuo vectus curru, Octavia, ibo tenebricosum istud per iter» (pubem vellicabat), «ibo ad gloriam.» Uterum, femina, pectus pererrabat inspectans curiose. Demum intumuit puero nervus. «Fave,» inquit, «fave, Venus [pg 299] mea.» Suavium dedit.—«Favebo,» inquam, «et ut voles favebo. Servire tibi instar regni erit. Qualem me cupies, talem habebis.—O nugacem!» clamat advolans Manilia; «facto opus est, non dicto. Volo utrique præstare operam, et ope mea voluptati vestræ accrescere delicias novas. Belle arrigis, Roberte; agedum, candidum hoc in Octaviæ pectus libidines et te effunde.—O mater,» respondeo, «vis huic meæ adesse ignominiæ? Abi, amabo.—Te ineptam!» refert, «non fidis nutrici, alumna? Pugna, Roberte, sed heroica pugna fortitudine heroidi tuæ incomparabili.» Dicente Manilia, supervolat Robertus; balista ferit uterum: at exerrantem et resilientem intercipit caudam Manilia, officiosam insinuans manum. «Veni, fugitiva, tuum id in ergastulum Dionæum: huc te vocant,» dicebat, «quas dominæ debes operæ.» Post impacta in pueri lumbos manu, impellit: momento voro puerum, absorbeo surgentem. Vetat commoveri me Manilia. «Tolle id femur lævum, Octavia,» inquit, «contende alterum.» Fit. «Tu, Roberte, leni et spissa concute amores tuos subagitatione. At tu, Octavia, osculare, nec move.» Fit. «Cum senseritis alter et alter,» adjicit, «e libidinis vena exsilire vobis prurientes salaciæ spumas, tu, Octavia, mitte suspirium; tu, Roberte, morsiunculis Octaviam pete.» Subagitat ille vegeta, sed molli et lenta concussione. Amplector,

osculor, nec moveo. O bona Venus! o bona Tullia! sentio me remitti. Suspirium mitto. «Nunc, nunc, Roberte,» ingeminat [pg 300] nutrix lena, «fave, fave Octaviæ. Rapidi tibi ferveant lumbi.» Ille urgere, permolere. Mox collum appetit dente, cutem carpsit; gemitum dedi. «Nunc, nunc,» repetit Manilia, «crissanti fave Roberto succussu. Tolle lumbos, succute pernix. Bene est, alumna. Non ita, puto, lumborum placuit flexibilitate et mobilitate Lais.» Cœpit colliquescere dulcis puer, et ego intimos amoris sentio mihi sinus liquido exundare incendio. Nec lateribus peperci, nec animæ. Celeriori nunquam itum cursu ad Veneris metam. Altera manu Manilia mulcebat mihi nates, altera Roberto. Apprehensa identidem summis digitis cadurda stringebat, comprimebat, et incubantis testiculos, molli emulgens compressione, exprimebat. Defecit puer; et refugit nutrix, plaudens manibus, acta fabula. Basiationes projecto propter latus meum puero ingerebam innumerabiles.—«Ut me amas?» dicebam. «Ut meæ tibi Veneris dona placuerunt? Nunquid piget? Nunquid mei piget?—Interroga, domina,» respondet, «an pigeat in cœlis fuisse cum Jove et Junone, et magnis Diis.—Nam,» repono, «ruunt homines in amplexus puellarum præcipites, postea piget.—Non tu puella es,» inquit, «ut puellæ sunt hæ nostræ. Dea es voluptatis. In te si me ceperit satietas, et ceperit felicitatis in cœlis, et Deorum epulis».

. . . . . . . . . . . . .

. . . . . . . . . . . . .

(Desunt folia aliquot in codice m. s.)

. . . . . . . . . . . . .

[pg 301] ...—«Insomnem egi noctem. Perstrepebat contignatio vi concussa: cubiculi timui casum. Fabulam egitis, nec dubito; hæc tibi Diana sagittifer fuit Apollo. Configebat tibi, noli erubescere, Octavia mea, configebat tuum Pythonem. Hodie mane, cum vale abiens dixit, junxi pectori pectus, nullo Dianæ tuæ exsurgere sinum mammarum tumore sensi, nullo vidi. Et fœmineo suavius dedit suavium. Non is vividus et micans oris color, qui heri erat; impallescebat nocturno labore.—Erras, Eleonora, repono. Virum non habui in viduo thoro. Sed lucta, et pudet fateri, lusimus Cupidinea, Sappho et Andromede. O videres, Eleonora, nascentes mammarum orbes! arderes. O videres non vere cunnum, sed cunniculum! fureres. Placui maritus, placuit uxor, tribadico furore et sudore.»

*Tullia.* Erat Enemonda forma excellens, Fernando Portio soror. Et Enemondæ erat amica Francisca Bellina, etiam forma præstans. Nesciebant inter se quæ magis amaret, quæ magis amaretur. Cubabant frequenter una in domo Fernandi. Secretis petebat, quales amat Venus, insidiis, Franciscam Fernandus; se peti sciebat puella, et gratulabatur suæ formæ. Surrexerat impatiens libidinis, surgente Aurora, e lecto adolescens; frigido aeris halitu mitigabat ignes, in pergula. Tremula strepebat argutatione, proximo in cubiculo, sororis lectus. Patebat vero ostium: hanc amanti commodarat puellarum negligentiam Venus favens. Intrat, nec vident libidine cæcæ, libidine ebriæ. Superequitabat Francisca; Enemondam impellebat [pg 302] ad cursum, nuda nudam. «Ambiunt,» dicebat Francisca, «meam quotidie pudicitiam nobiliores et salaciores mentulæ. Pulchriorem ex iis, amica, legam ego, sed tibi. Sic volo indulgere genio tuo, et meo.» Dicens, subagitabat acerrime. Conjicit Fernandus se in lectum nudus. Territæ puellæ, nec fugere ausæ sunt; amplexu Franciscam ligat cursu fessam, osculatur.—«Audes tu, improba, vitiare sororem meam,» ait, «tam sanctam, tam castam? Pœnas dabis. Domus ulciscar meæ injurias. Patiere furores meos, ut illa tuos.—Frater mi, frater mi,» respondit Enemonda, «ignosce amantibus; noli nos traduci ludibrio.—Nemo sciet,» inquit; «faveat hæc mihi cunno, favebo ego utrique lingua. Nemo sciet.»

. . . . . . . . . . . . .

(Desunt multa in m. s.)

. . . . . . . . . . . . .

*Octavia...* Nudos pingi vetant novi sapientes, novi Catones, qui, si e cœlo ceciderunt, sane e cœlo Lunæ ceciderunt.

*Tullia.* Quo quisque est inter homines stolidior et vecordior, eo et superbior est. In eis si judicium quæres, si eruditionem, operam luseris. Nam Naturæ rerum parens finxit nudos. Nec sartor, nec cerdo Deus. Propulsandis aeris et tempestatum injuriis inventus vestium usus, non quod quicquam corporibus desit nostris ad pulchritudinis laudem; non quod quicquam inhonestum et turpe e tanti molitoris [pg 303] manibus exierit, quod tegi deceat. Consistit corporum pulchritudo in recta membrorum compositione; nulla est, Hercle! in vestium ornatu. Æternæ mentis maximum est opus corpus humanum. Quis neget? Hoc se uno ars conditoris maxime jactat specimine. Qui tegit, damnat. Si videri noluisset, deerat facultas? Deerat ars? Expectasset, putas, tam mirabili perficiendo operi, artes nostras et curas? Insanit qui sic obloquitur. Maxima pars orbis terrarum alit

nudos, ut creat. Et sunt plagæ in quibus usum vetat vestium cœli et aeris torrens æstus. Videant hi lynces. Regnantis vis Naturæ nudos ostentat hominum artus et lumbos. Nulla illi pudenda membra, iis in regionibus, partes turpes nullæ; nudum esse probro non est. Volet et eadem vis Naturæ in aliis abscondi terris, ut propudia, et tegi, quædam ut sua scelera, nullius tenax consilii? Volet, si videantur probro esse? Viderint hi lynces. Græci, artibus et ingenio clari, pingebant nudos heroas, et heroidas nudas. Alexandri vidi Romæ statuam, Praxitelis opus: Hercule satus altero sustinet brachio leonis exuvias, cetera nudus. Qui videt picta in tabula Carolum Imperatorem, Alexandro æmulum, vultum principis et manus videt, nihil præterea videt, quod sit principis. Hæ sunt vestium picturæ, non hominum. Inepte dixerit te vidisse, Octavia, qui nunquam viderit nudam. Ita sua excidere a dignitate sculptura et pictura. Nunc sunt sculptores et pictores scientiarum et artium rudes, si unum aut alterum demas; nebulones, ebriosi, nullius artis in arte sua. Pictura descivit a pictura, ars ab arte. Sed [pg 304] periculum est, aiunt, si nudos nudasve pingant, id ne sit præstigiosum quoddam ad flagitia incentivum. Nugæ! Qui degunt, ex nostris hominibus, in India et America, ubi libere patent puellarum partes, nulla tamen moventur libidine. Visu assuescunt, et hebescit assuetudine libido. Crede mihi, Octavia. Avaris nos tuemur ipsæ curis, oculis negamus dotes nostras sollicitæ, et id maxime hominum corda inflammat. Majora opinione concipiunt, quam postea vident. Postquam copiam nostri fecimus, non ita ardent. Obsolescunt momento venustates, quas nudiustertius adorabant non visas. Vetat lex? illecebras vetitis addit. Castiores essent plerique omnes, si liberiores. Fluat, ut aqua in rivis, vinum: ebriosos vix investigabis, unum alterumve. Ambulent nudæ: se tot, ut fit, non inflammabit nequitiis Amor. Quibus sunt virgines nudæ in tabulis pictis, hoc non tanguntur visu, non moventur, marmorei usu facti diuturno. Stulti illi sapientes rem ex sua præjudicant conscientia. Pronæ ad terram mentes ad quæque se sentiunt flagitia proclives. Nec studio bonarum artium, quæ in eis nulla sunt, naturæ malignitas aut corrigitur, aut temperatur. Bonis et doctis aliæ..

. . . . . . . . . . . . . . .

(Desunt multa in m. s.)

. . . . . . . . . . . . . . .

..... «Accipis?—Legem quidem accipio,» respondet subridens, «omen non capio; nam te [pg 305] amicam, soror, non inimicam, capere volo. Ad quam flexit

me scurrilitatem amentia pueri, flagitium vocas. Ludus est. Ut ut sit, accipio legem. Sed iram averte omnem a puero; in me converte.—Videro,» reponit Juditha. «Consobrino natus e concubina, venusta puella, odio mihi esse non debet; nec aheneum mihi pectus. Id unum jubeo, jubenti ut præstes obsequium, mihi, quicquid tandem in mentem venerit.—Præstabo,» inquit Lucia.—«Curabo omnia,» subjicit Juditha; «nec tibi time a marito. Sylvas amat, non nuptias. Impigro venatori Cephalo non multus, scio, Procris suæ usus. Fibulam volo induas.» Uberes ad rem manarunt ex puellæ oculis fletus, et mitescere sibi sensit Juditha ferum animum. Dejicit, lymphata, lintea. Ut vero apertas vidit opimas juvenilis corporis venustates: «O Venus aurea!» exclamat; nec plura. Post paulo vocem recepit. «Sospitabit miseræ Juno,» ait.—«Ignosce, soror,» dicebat Lucia, «linque meo me sexui. Quæ fœmina sum, nisi cum fibulæ visum erit, fœmina non ero? Ignosce, bona soror.» Abscesserat Mancia, et puer.—«Quam bella es cum tuo mœrore, Lucia soror mea, et Hebes soror!» ait Juditha. «Vis mea esse? Si eris, et mea non ero.—Volo,» reponit Lucia, «sed infelicitatem meam novi et tuam duritiem.» Osculum flenti fixit Juditha.—«Molliisti,» inquit, «saxeum pectus. Hac ex caute non igniculos procudisti, sed amoris incendia.» Impegit osculum, et novos hausit calores. «Hoc solum rogo,» subjicit, «ut me ames, et Joannem [pg 306] habeas odio. Servi mihi servitutem: servitute hac tibi emeris regnum.» Promisit Lucia se facturam quæcunque vellet fieri. «Et hac tecum nocte cubabo,» ait Juditha. «Vir tibi ero novæ nuptæ.»

*Octavia.* Ah! ah! ah!

*Tullia.* Et tota nocte puellæ lectum suis implevit furoribus; mille millies suavia dedit, subagitavit indefessa, et incestis vexavit tenera membra manuum deliriis; sub lucem excessit. Sequentibus diebus, Joanni non visa est irasci, sed misero vetitum ad dominam ire. Igitur dolore conficiebatur, et peribat. Convenit Manciam. «O Mancia,» inquit, «insaniebam; verum te amo.» Veniunt in amplexus, et hi via fuere Joanni ad Luciæ complexus. «Me, Mancia, mea lux, ira enecat, emorior. Me igitur ingrata illa et perfida pessumdederit, et peribo inultus? Non peribo si voles, vivam tibi.—Favebo,» reponit Mancia, «sed quid agitas consilii? quid paras?—Volo superbam habere in potestate, calcare male in luto.—Non satis intelligo,» inquit Mancia, «quid id sit quod excogitas. Vis forte calcare in lecto, non in luto?—Malim,» reponit Joannes, «cum Tisiphone, cui lutea inter inguina Stygius hiat bufo, concumbere, cum Charonte rem habere.—Jura ergo,» ait illa.—«Juro,» infit, «per omnes Deos, per omnes Deas, per te etiam juro, quæ dea mihi eris maxima, si faveris.—Favebo, nec dubites. Operam laudabis meam fidelem et industriam. Scio; si quid in te est animi, per Venerem! odisse [pg 307] heram audebis, quæ te temnit tam male animata.»

. . . . . . . . . . . . .

(Desunt quædam.)

. . . . . . . . . . . . . . .

.....—«Artem elusi arte, hera. Obliqua mihi eundum erat via ad felicitatem.—Ingeniose, mel meum,» reponit Lucia; «me quidem amat Juditha et excruciat, quam odi, scelesto amore. Furit, sed operam perdit. Colubris potius velim bene.» Arrigebat incensa tentigine puer, arrigebat liberaliter. Vidit Lucia devoranti oculo. «Fugit anima mea a me, mi anime,» inquit, «fugit ad te;» osculis puerum petebat.—«Et ego emorior, domina; in tuto sumus,» ait Joannes. Rubore offusus est puellæ vultus; cœpit intremiscere et pavere.—«Exige a te,» infit Joannes, «pudorem hunc ridiculum. Patere id monstri pilo configam.» Subrisit Lucia. Finge tibi cum Adonide Venerem. . .

. . . . . . . . . . . . . . .

(Desunt multa in m. s.)

. . . . . . . . . . . . . . .

. . . . . . . . . . . . . . .

*Octavia...* Nupsit Margaris, ante hos dies, comiti Emanueli, divinæ indolis et formæ puella. Digna erat quam amaret Robertus, et ignovissem, puto, si amasset.

*Tullia.* Et si læsi scirent ignoscere Amores.

[pg 308] *Octavia.* Incredibili superat sagacitate et solertia matronas omnes, vel ætate provectiores et æquales pulchritudine, vel celeberrimas forma. Sed ea est humanitas, affabilitas, bonitas, in magna fortuna, in eo splendore, ut omnium ore laudetur. Has, Hercle! Ludovicus Vives, dicendo et docendo virtutes, ut et primas patrando voluptates, instillavit teneræ. O natam feliciter, vestris sub stellis, o Apollo! o Venus! Margaridi et Roderico multus litterarum amor; et favit genio et ingenio, magna cum cura, Catharis Herrera mater. Erudiendos credidit hominum nostrorum longe doctissimo Ludovico. Placuit præceptori vehementer puella, et efflictim amavit. Pudebat virum magnum, sed et juvabat; et nolebat et volebat. Quid faceret? Amant etiam qui nolunt, immo quas nolunt: libera non est

amoris optio. Aberat mater; timebat nihil natæ, nec a Ludovico cavebat. Solam domi reliquerat soli, et in ea regnabat domo venerabilis vir miraculo litterarum. De humani corporis structura forte edisserebat; incidit ut de corde doceret. «Hæc est,» dicebat, «hominibus mirabilis omnium sedes affectuum; hic amor nascitur, hic odium. Hinc originem ducunt mala et bona; hinc strages et cædes, quibus humanum, ante diem, genus vi perit illata; hinc sexuum, per amorem, affinitas, qua crescit et propagando sobolescit. Præstare putas amorem odio, Margari?—Nec sane odii,» respondet, «ad hanc diem, nec amoris agi me sensi malesuadis consiliis, quæ bona et pura sum.—Sed ad eam,» refert Ludovicus, «pervenisti ætatem, in qua profecto cæco incalescunt igne [pg 309] venæ bene valentibus. Atqui optime vales. Et amas, noli erubescere, Emanuelem comitem, adolescentem suavissimum. Amas, Margari, amas, et gaudeo.—Amo,» reponit, «quem mihi mater optima legit maritum; si negem, mentiar, quod alienissimum a moribus, quos infudisti, meis.—Enimvero,» subjicit Ludovicus, «amabis præterea nihil, odio me habebis?—Non habebo,» ait illa, «et amo te vehementer; ingrata sim, ni amem.—Ergo si et ego te tam pulchram, tam ingeniosam vehementer amem,» infit Ludovicus, «probro non vertes?—Non vertam,» respondet, «gratias agam, et olim, faveant Superi! referam diligenter.» Dum diceret, supervenit Rodericus; mutat sermonem Ludovicus.—«Affectuum (passiones vulgo vocant),» inquit, «in corde quædam velut est officina, et in medio cerebro mens sedem habet. Pars est compacta; glandulam pinealem dicunt. Omnia mirabiliter. Evolant perpetuo illuc e corde subtiliores sanguinis scintillæ: spiritus vocant, et sensuum ope et opera, ut e re est, consulta mente agitant et movent. Quos temperat mens affectus, probat virtus et honestas; rebellantes et perduelles damnat virtus et honestas. Quis damnet bonus, odio haberi a quibus injuriis afficimur et contumeliis? quis non laudet, laudari et amari, a quibus amamur et augemur beneficiis?—Intelligo,» reponit Margaris subridens; «nec erit quod merito jure ingrati unquam animi vitio insimuler, si mea me spes non fallit.» Postera die cordis et cerebri, atque [pg 310] pectoris extima et intima, velut ob oculos eruditæ puellæ, longa narratione, posuit.—«Sed, quæ tam prope abes a nuptiis,» inquit, «divina Margari, tua, per Venerem! interest, situm, figuram, et munus partium nosse, quarum præcipuus et suavissimus in sacris Hymenæi usus mortales æquat Immortalibus. Nam et viri et fœminæ, voluptate, quasi mercede objecta, impelluntur ad nuptias.» Libere exsequutus est, prurienti sermone, pruriginosam hostiam. In propatulo vidit nudum Margaris Hymenæum et arsit. Urebatur puellæ pectus nova libidine. Agnovit Ludovicus virginis amentiam, et ipse insaniit. «Qui tibi,» dicebat, «heros heroidi virginitatem eripiet, excutiet, næ, Margari, Jove mihi videbitur beatior. Quo pretio veniisti, Dea, mortali? Quæ merces in terris tanti boni? Me infelicem!—Melius Dii et ego,» refert illa, «favebunt Superi, et favebo.—Fave tu, Margari,» ait Ludovicus; «si faveris, favebunt Superi, vel nolentes.» Erubuit virgo, et obmu-

tuit. «Nempe, quæ nequidem vis verbum dare, quid a te sperem miser?» subjicit Ludovicus.—«Verba non dabo,» reponit Margaris; «sed quid vis me facere?» O forma! o juventæ flos! suspirium misit.—«Me Superis æquas,» infit Ludovicus. Silebat puella, et oculos tenebat solo fixos. Eburneos tegebat humeros amiculum bombycinum aurea innexum fibula; præter indusium interius, nihil erat vestimenti. Liberum pectus, libera ad mammas via. Veneris œstro percitus, et hanc et illam prehendit impotens parvam, marmoream, [pg 311] micantem: hymenæo libat basio.—«Quid id vero est?» ingemit virgo; et uberes rigarunt lacrymæ ora.—«At enim odio tibi sum, dea mea,» dicebat Ludovicus.—«Non es,» respondet, «sed nolo dare.—Non tamen pugnabas,» subjicit Ludovicus.—«Nolo etiam negare,» ait illa.—«Quid tibi vis, cara virgo?» dicebat Ludovicus; «nec dare vis, nec negare; negas sane, si nec vis dare.» Et æstuantibus verbis calidas miscebat basiationes.—«Nam si dederim,» inquit Margaris, «meretricium id erit obsequium; si negaverim, improbe ingrata sim.—Intelligo, intelligo,» exclamat Ludovicus; «vis, si vir sim, vim inferam; non vis, quæ casta es, vitium offeram.—Ad hanc diem,» reponit Margaris, «ne turpis quidem cogitationis umbra animum meum attigit. Non puriores solis radii, quam mihi mens et anima.—Scio,» ait Ludovicus, «purissima es puritas.» Dicens amiculum et castulam, solutis fibulis, amovet; male pudorem, quæ supererat, tuebatur interula linea, nubecula. Flebat Margaris: nihil contra conabatur. Erat in angulo lectus, humilis, unius capax, sericeo opertus vellere nigro. Abigit illuc, pedo minax Venereo, oviculam intremiscentem Ludovicus. Dianæ carior non ita fuit pastor ille ab Amphryso.—«Ergo sede in lecto, dea mea,» ait. Sedit. Post collocat resupinam in mediis castris (sic thorum vocabat); «nam hoc modo bellum geritur, conseritur pugna,» dicebat.—«Me miseram!» ait Margaris. «Parce pudicitiæ; si amas, parce pudori. Quid feci infelix? Quid tu [pg 312] vero non facies? Vere perii.—Faciam sane,» respondet Ludovicus, «Superum ut invenias vitam in amplexibus meis, ego in tuis.» Interim revolverat interulam ad summum pectus. Patuere sexcentæ venustates, apparuere libidine furenti mille Veneres. Ad miraculum pectus, alvus, femina, pulchra quæque. Intumescebat molliter libidinis agger. Rimam, qua iter ad cœlos, non videres: lineam diceres Apellis ductam penicillo, qua Protogenem vicit. «Nunc cernendum bello,» ait Ludovicus, «cui dederint Amores imperium hujus arcis. Et ecce produco e castris meas omnes copias.» Demittit subligaculum, et arma intentat virilia prætrepidæ virgini: scilicet arrigebat magnifice ad pollices novem; sed crassitudine exsuperat.—«O mater!» exclamat Margaris, «me putasses, cara mater, huic fati obnoxiam indignationi? Me consceleratam! Jam nulla sum.—Nugæ! meræ nugæ!» inquit Ludovicus. «Macte animo, dea; laudabis, scio, et triumphabis, gaudio delibuta summo.» Miratur femina, potiorem et sacram libidinis partem. Attrectat pubem, crispam, sericeam, quam videbatur ipsa sibi Venus suis nevisse manibus. Discidit bibentibus Venerem oculis; diducit

cadurda, igneam tentat solers rimam micanti digito. «Suo sub purpureo flore,» inquit, «recubantem video pulchram virginitatem. Euge, virginitas! Quid enim vero sedes istic, iners et otiosa? Apage, inter ineptos laus inepta! Quid heram fatigas meam, hostis generis humani, violatrix perpetuitatis, fraudatrix amorum? Moriere, cæsam mactabo.» Nec [pg 313] mora: effusus in gremium puellæ, nervos contendit, spiculum vi mittit. Diffinditur tenera et delicata; infremit, suspiriumque dat altum et clamorem sonorum. Nam irrumpit impetu, non leni irrepit illapsu in adyta Cupidinis fervidus Hymenæus. Læta gestit intro Cotytto, et salaciam movet. Quid plura? Virgo cæditur pulchra, reviviscit pulchrior mulier: facta est uxor. Subagitabat acerrime Ludovicus; illa nec commovebatur, nec quicquam conabatur. Diutius tamen temperare non potuit sibi a favore. Subinde mittit gemitus, sed quales amat cevens Amor, crebros, anhelos; patrantes attollit oculos, et marmoreas vibrat nates amens. «Deficio,» inquit; «quid id est intemperiarum? exeo ex me.» Dum dicit, longo resolvitur effluvio. Sensit resolvi Ludovicus, et favit. Venus bona! cum cogito, mea Tullia, tot voluptates, accenduntur cæco mihi æstu intimæ medullæ. Nunquid et tibi?

*Tullia.* Insanio, inepta; perge dicere. Places mirifice hac fabula.

*Octavia.* Concussiones redintegrat spissas et rapidas, indulgens læto operi maritus. At post paulo colliquescit ipse, et delinificis libidinis rivis puellam mulcet in abdita pruritus vena. Furit Margaris; restagnanti mergitur pudor omnis voluptate. Osculatur, amplectitur; hac illac brachia, crura, tibias, lumbos jactat impotens: sic solent quos adurit febris in lecto ægros. Nam, qui cevent et subant amantes in lecto sani, ardent et febri, o Amor! sed tua irrequieta et tamen placida. Uno omnia verbo, Tullia. Voluptatem alteri creavit alter, quæ summa est [pg 314] etiam Jovi et Junoni Diis summis. Optime Ludovico cessit: non melios Senecæ navanti Agrippinæ operam, non melius Nasoni Juliam Augusti subigenti. Quid rides? immo non melius unquam Lampridio tibi anhelanti et sudanti.—«Hoc præludio initiata es, Margari, nuptialibus sacris,» dicebat Ludovicus. «Nam crastina die, pactis nuptiis, confliget Manuel tecum, nova nupta, vero duello. Nunc sane hominem tulisti, cara Margari; asellum vero feres. Adolescentem, cetera optimum et suavissimum, vocare equidem solitus est Onosandrum Rodericus patruus. Arrigenti increscit mutinus ad pollices quatuor supra decem, monstrum! et intumescit ut mulis videmus.—Monstrum scio,» ait Margaris, «et monuit periculi Justina. Cruciabor, sed et dixit successuram cruci duplo majorem voluptatem. Videbo.—Et bene se res habebunt,» reponit Ludovicus, «nam habilissimum tibi corpus. Sed animo fer forti et constanti ferendum quicquid erit.—Et feram,» ait, «nam sororem Justina esse dixit sibi exilem et gracilem, nupsisse tamen viro membrosiori» (ut dicere solita es, Tullia) «æquo et equo. Sed tu mihi, Ludovice, mirifice placuisti; non ita placebit Manuel, ne dubites.—Et places unice mihi, regina mea,» refert Ludovicus. «Nihil præterea habeo in vita quod cupiam,

si te habeo.—Habebis, dum vixero,» reponit Margaris; «præoccupasti amores meos: auferet nullus homo, nulla ætas.—O me beatum!» ait ille. «Absint bona omnia, desit favens fortunæ aura: adsis tu sola, mihi satis erit [pg 315] opum, satis bonorum.» Suaviis dicens lacessebat repetitis puellam; pugnabat et redditis puella basiis. Concurrebant et hinc et illinc resurgentes ad libidinem animi. «At enim volo qualis esse debeas mihi, qualis marito,» ait Ludovicus, «nescia ne sis, Venus mea, felicitas mea. Coronis id erit aurea monitum multifariæ eruditionis. Principio, suasum habeas tuo in te repositam esse, marito suam felicitatem; tuam tibi in me. Si suasum habebis, feres mariti amorem; optabis, ardebis meum. Libera sint inter nos voluptatum commercia, joci, lusus, libidines. Exige pudorem cum mecum eris, pelle metum. Sed colludenti cum marito summa sit pudoris, qualem matronas decet, cura; sciat pudere te patientiæ, pudere obsequii. Pudeat atque adeo et mariti. Metu et pudore coerce motos sensus, et frena libidines. Sentiat cui omnia in te fera licent connubii lege, vere nihil per te licere. Sed si me amas, non sines, prima alterave nocte, cupidum beari juvenem pleno gaudio: id mihi erit instar pleni gaudii.» Addidit et alia multa, et basiationes innumerabiles. Incaluere. «Viden,» dixit, «mea Margari?» penem jactabat rigide tensum. Offusus est rubore puellæ vultus, et quid subrisit pruriginosum. «Eloquere, Hercle! quid judicet amicæ mens Margaridis de amica fieri mentula? Eloquere, sed libere, sed meretricie.—Volo,» reponit cachinnans, «quæ coram puella tua tam insolenter gerit se, et pudori facit injuriam virgineo lasciviens, tenebricosum trudi in carcerem.» Tollit cachinnum.—«Enim [pg 316] vero trudetur,» reponit Ludovicus. Acquiescit ultro pulchra mentula sententiæ, amore pœnæ. «Veni in carcerem, superba mentula, veni, serva pœnæ.» Volens subit illa suoque nisu in cæcum cæci amoris carcerem. Cetera quis nescit? Lassi requievere ambo.—«Moriar,» dicebat libidine Margaris amens, «ni te ipso plus Amore amem! Nempe tam pulchra in rerum natura edocuisti, quo laudatior fierem; et nunc usum edoces vitæ, usum mei, quo sim beatior. Nollem participem fieri unquam Manuelem tuæ voluptatis, si quam a me cepisti. Uni vellem addici tibi, nulli præterea homini. Sed omnium quæ mandasti, faciam scias fuisse memorem.» Rem facete inficetam! Cum perducta est ad genialem thalamum, dixit caput sibi dolere.—«Sane,» refert mater ridens, «et dolebit ante horam, mea ni me spes fallit, pars ludicra vero dolore. Nam quid fictum prætexis dolorem amentiæ tuæ, nata? Petiisti a marito hanc condonet timori tuo noctem? Te stultam! sed enim quid times, vecors? Discindet, non occidet. Junior eram quam es, quum passa sum graviora quam feres. Duodecimum non excesseram annum; bene habui. Obsequere marito, bene habebis.» His dictis, reliquit nudam in lecto. Sed sericeum induerat sibi subligar, et ab omni consuerat parte, ne qua ad se via esset hymenæo. Venit Manuel, osculum dedit indignanti: manabant lacrymæ.—«Quid fles, mea libido?» ait. «Invides mihi meam felicitatem?» Jubet servos abscedere, cereos vetat exstingui; post ex-

pansis [pg 317] puellam ulnis complectitur resupinam. Pugnat illa et refugit. Arrigebat exutis adolescens vestibus; vidit puella, vidit et lethum. Horruit. «Nam intimos,» dicebat apud se sibi, «transadegisset vulvæ sinus; perfregisset viscera! sed in tuto sum.» Subinde attrectat Manuel mammas, quales optasset sibi Venus e concha nascens. Repugnabat. Post interfemineum et femina petit: loricata invenit. Miratur, indignatur, subirascitur. Quid faceret? consilium capit ab ira.—«Quid vero sperabas opis ab hoc,» ait, «genere munimenti?» Et momento perfringit; nec vi multa opus: fefellerat Justina dominæ ineptam malevolentiam. Conqueri Margaris, et succensere; conscendit Manuel.—«Quid me vexas,» aiebat illa; «vitam adimes priusquam pudicitiam.» Pugnis petebat anhelantem; nihilo tamen minus urgebat opus, amantis furore. Et aperuerat, post concertationem, ad summum bonum viam: prope aberat a victoria. Mentis impos illa, cum sensit deficere vires, unguibus impactis impetum facit in ora incubantis, et fœdat vulnere. Tunc ad rixam et ad iras ventum. Exscendit e puellæ veredo indignans adolescens; fugit e lecto puella. Alter alteri infensus. Audiit mater et accurrit ira sævientibus. Vidit in angulo sub aulæo latitantem natam, et ad thori interius latus inspectantem in speculo læsam faciem generum, et frigida lavantem. «Bona Venus!» exclamat, «quæ hæc est hymenæi facies? quæ sunt intemperiæ? Siccine, o fili! o nata! nuptias facitis, et amatis alter alterum? Quid video?—Non uxorem dedisti, dulcis mater,» [pg 318] refert Manuel, «tigridem dedisti. O Hymen! qua fati libidine, quæ ante horam puellarum flos erat delibutus, mutata repente est in sævam tigridem? Certe nullo meo facto. Vide, mater, quibus faciem notis inscripsit.» Excandescit matrona:—«Agedum, excetra,» ait; «ubi natam deposuisti meam, dulcem, obsequentem, bonam? Certe non es. Sed impune non feres; pœnas dabis.—Natæ ignosce, mater,» inquit Manuel; «ignosco ego uxori vir. Malim emori, quam ab ea si quicquam exegeris pœnæ, quæ anima mea est, quam perdite amo, vel ingratam.—Quid vero ais, improba et vesana?» refert mater. «Quid respondes?—Peccasse fateor, mater, et vehementer pœnitet,» infit Margaris. «Veniam peto supplex. Ignoscite huic furori, qui meus non fuit, sed fati.—Et ignosco,» subjicit Manuel. «Sed quis ego sum qui ignosco reginæ meæ? Si vero quid ego deliqui in te, nollem dictum, nollem factum.» Fregit protervam liberalis sermo Margaridis contumaciam.—«Sine, mater,» inquit, «reconcilier cum marito mea opera, non tua. Placabo, spero; redibo in gratiam. Abi, amabo, cara mater. Vis prostem nuda oculis tuis? Obsequar jussis tuis, obsequar mariti aut libidini, aut amori.—Ergo exeo, nata,» reponit mater. «At tuo vide fungare officio, ut conjugem juvat, ut honestam decet.» Illico in complexum mariti, ut erat nuda, volat ingenuæ puella indolis. Osculatur, veniam petit.—«Agedum,» inquit, «quam voles ultionem cape a rea, dulcissime Manuel; nullam deprecor.» Fovet ille [pg 319] suspirantem in sinu.—«Quam vero,» ait, «si melior sim quam fuisti, capere velim, præter oscula et florem juventæ?» Demum sistit ad marginem lecti amantem et amentem.

Omnes legit oculis omnium venustates membrorum. Laudat, miratur, stupet. Invenisset in una Zeuxis, quam in pluribus quæsiit, summam pulchritudinem, et Venere dignam. Attrectat mammas, pectus, femora. Lubrica nates manu tentat, et bonam partem. Consentiebat Margaris; nihil negabat, et tantum non dabat. Incalescit aspectu adolescens, incenditur tactu. Omnia delectant et gaudiis implent, quæ qualia sint non assequatur excogitando qui non amat aut non amavit. Surgit interim mentula ad præcipitanda gaudia. Moræ impatiens, exsiliebat, subsiliebat. Admoverat Manuel puellæ lævam: impalluit, et gemitum misit. «Hæc te assurgens, ut vides, suavissima Margari, et inflammescens,» ait Manuel, «de meo in te amore, cui nihil potest adjici quo major fiat, mox, mox, hera mea, faciet certiorem in intimis præcordiis. Depluet omnes tibi voluptates: post paulo amabis, nec dubites, et Venerem et me. Certe hac somnum nocte non videbis, sed Jovem videbis. Multam ad lucem saltabimus hilari tripudio, cum Venere et Hymenæo, choream ducente Priapo. Res vero agetur intro festiva in spelæo insontis vulvæ» (medium induerat digitum). «At, cara Margaris, cor meum, lux mea, mitte te in lectum et compone duello. Fave Veneri, tibi ut faveat.» Erubuit virgo et suspirium dedit. Momento resupinam occupat, telum vibrans quale Omphalem [pg 320] Hercules, contentis, ut maxime potuit, nervis, in teneram adigit. Nec compages resistit, vi arietis disrupta est impacti. Alte infixum est telum, et hæsit. Clamorem edidit virgo. Erat ad thalami fores mater: ut audiit, ut sibi placuit! «Perge, mi gener, perge,» inclamat alta voce. «Ulciscere injurias. Nulla te tangat miseratio; scias te maritum, sentiat se uxorem.» Repetit Manuel hoc animosior classico pugnam; repetit et vociferationem puella. Demum in misellæ viscera, diro fulminans nisu, telum abdidit.—«O mater!» clamat Margaris, «o mater! fer opem. Ecce emorior, mater!» Nequicquam fletibus miscebat querelas. Amoris fervebat opus adolescenti; fervebant motitatione celeri et spissa crispantes et ceventes nates. Ejulabat puella. Manabant ex oculis lacrymarum rivi. Comprimitur, permolitur egregie. Subinde sensit e subagitantis mobilibus lumbis ferri impetu in sitientem vulvæ lacum torrentes libidinis rivos. Summa vi irruens adigit ille altius telum; incusso contremuit vulnere puella. Gemendo vocem sustulit; nec hilum mota est ad libidinem. Defecit adolescens. Intrat cum Justina ancilla mater: senserat resedisse furores; silebat Margaris, lectus non perstrepebat, silebat. «Nunc agnosco, Margari,» ait, «prolem meam. Reddidisti mihi natam, cum uxorem viro: gaudeo.—O mater!» inquit Margaris, «virum non dedisti. Hominem putabas, mater, cui noveras partem esse aselli?» Risit mater, risit et Manuel.—«Et hæc aselli pars,» respondet Catharis, «apte, nata, convenit puellæ parti. Spera: caro emenda [pg 321] tibi erat (sic Amores voluere) voluptas summa.» Tunc duas virgini dedit nuces saccharo conditas, quatuor Manueli. «Nam tibi, mi gener,» inquit, «reficiendæ vires; et nervis opus habes.» Componebat interim lintea disjecta et turbata. Justina ingemiscit.—«Quid ingemis?» ait Catharis. «Quæ hæc

est pernicies?—Vide, domina,» inquit Justina, «crudelem virginis tuæ cædem.» Multo videt sanguine conspersum linteum.—«In virgine rubra,» inquit, «video virginem meam castam et puram. Et melius in cæsæ virginitatis strage natam agnosco.—O mater,» ait Margaris, «pollicita eras nuptias, et mihi et tibi sperabas nuptias: laniena fuit.» Osculum dedit mater.—«Forti,» ait, «sis animo, et eris, quæ memor officii eris. Et tu, mi gener, fortiter feri, et feries fortiter, qui amas et juvenili polles robore.» Post exiit. Complexu puellam fovet Manuel.—«Da veniam, hera,» inquit. «Pugnandum sic fuit heroi tuo, tecum heroide sua, et in castris tuis pugnanti.—Et do,» respondet. «Dolorem intulisti per amorem. Non ita, si minus amares, graviter præliatus esses. Sed et habeo quo me consoler:

»Referemus ambo nocturni vulnera prælii.»

—«Coiverant ante in nobis,» respondet Manuel, «animi quam corpora. Sed, uxor mea dulcissima, si me amas.....—Dubitas te amari?» interrumpit Margaris, «marite suavissime? Si dubitas, enecas.—Enimvero, si me amas, quicquid voluero,» reponit, [pg 322] «accommoda desideria tua meis libidinibus: accommoda et corpus istud Dionæum, pulchrum, vegetum.—Faciam,» respondet, «et gratificabor voluptati tuæ.» Sic ictum fœdus.

*Tullia.* Per Venerem Adonidi subantem! sedes est Amori regia genialis lectus, in quo vir et mulier cubant. Regnat in ea sede summo Amor imperio. Nam, cum arrectam intercepit manu mentulam, et pro sceptro candentem jactat, et minio rubentem, omnia parent; etiam dissidentium corda parent.

*Octavia.* Roseis in labellis legebat suavians odoros Manuel ambrosiæ rores. Sic, in Hymetti montis, thymo et floribus circumvolitantes legunt apiculæ mel et favos, cœlestia dona. Exsugebat mammarum suaveolentia fraga. Marmoreas et micantes levibus mulcebat alapis nates. Cunnum, inducto indice, sollicitabat subactum, et pavido indicebat bellum. Novos ebibebat ignes. Ignescere cœpit et Margaris. Intumescit generosa mentula, et subsultat. Impulit in puellam, ac si eburnea esset, rigidam; ac si fulmen e cœlo missum, candentem. Risit Margaris, animos capiens ab insultu.—«Ergo nullæ tecum, mi vir, induciæ?

»Bella mihi, video, bella parantur, ait.»

—«Amore ardeo,» inquit Manuel; «compara te pugnæ, Amazon mea Penthesilea, aperi Venereum campum. Dubitet Venus cui laurea debeatur: sit [pg 323] inter te et me in suspenso et in incerto victoria.» Insilierat in puellam: primo alterove concussu immerserat mentulam in Hymenæi venam. «Hic,» ait, «cibus est Dearum; bene est, vorasti; cœnabit opipare jejuna, et famem sedabit Dearum cibo.» Subagitat, nec Margaridi male erat. Se etiam momento sensit moveri ad

libidinem. Dat suspirium venienti prurigini, et osculum ceventi Manueli. Ille concutit, et vi urget. Mox largo deficit puella effluvio, ægre animam reciprocans sub acri equisone, dum currit ad metas. Deficit et post paulo Manuel, Venereo irrorans opobalsamo. Repente mutata est in aliam Margaris: lumbos sustulit, osculatur; amplexatur; iterum diffluit libidine; mirata est se tam cito et tam longe e pudicitia descivisse. Fraudem factam sibi credidit; Veneris cunnum sibi inscienti cum suo esse commutatum credidit, non suo his esse usam in ludis credidit. Nesciebat se tam salacem: nam, intra novem horas, decem peregit suo in agone cursus, indefessa. Ab ea nocte libidine furit. Quærenti Ludovico ut marito tam mirabiliter mutoniato sufficeret, respondit sibi quidem maritum non sufficere. Itaque nullam noctem, nullam diem cœlibem duxit. Noctu Manuelem, diu Ludovicum bellando confecit exsangues. Ante duos tantum dies cœpit Veneris pigere; matrem rogavit liceret, seorsim a viro, aliquot per noctes cubare viduam. Tam forti athletæ negavit esse se parem. Obtinuit mater. Nuptiis (nam mater retulit) male dicit; virginum innocentiæ et quieti bene dicit. Ride, Tullia: per innumeras fututiones ad pudicitiam rediit.

[pg 324] *Tullia.* Commoda via! ah! ah!

. . . . . . . . . . . . . . .

(Desunt multa.)

. . . . . . . . . . . . . . .

.....«Et hic me error,» dicebat, «impulit in amorem. Credebam bonam, ursa est; castam, lupa est.» Mutata igitur mente, etiam mutavit amores. Suis Joannem reliquit intemperiis procacem, libidinosam, impudentem; ad Clementiam convertit animum et amorem, bonam, honestam, ingeniosam. Placuit excellenti matronæ præstans juvenis. Sed volebat amorem Clementia, voluptatem nolebat. Volebat diligi, nolebat subigi. Contabes cebat Padillius mentis ægritudine, et ferebat moleste Clementia amantem perire; solabatur, ut poterat, dictis et officiis. «Si me amas,» inquiebat, «scelere non contaminabis. Amasti quod bona essem, quod casta; non amabis, si bonus es, cum malam scies et impuram mutatis moribus. Antepono sane honestatem caducæ huic vitæ; non vivo, si honesta non vivam: satius est mori. At tu (quod alii vulgo non solent homines stulti et spurcitiis inquinati), ama ingenium meum, ama mores.» Dictis miscebat oscula, sed sicca, sed frigida, qualia Philistæa Socrati fratri.—«Vis me mori,» reponebat Padillius, «sævæ probitatis tuæ victimam? Cadam lubens. Nam quid honestatem

prætexis crudæ sævitiæ? Scilicet putas amantem honeste posse occidi?» Cum nihil proficeret precibus et [pg 325] querelis, incidit in morbum. Judicavere arioli medici lethalem. Abdita causa, dubii quibus opi essent remediis, imprecabantur Jabalum arti suæ nugatoriæ. Flebat Remundus cognatum tam præclari meriti in ipso exstingui juventutis flore; flebat Clementia, quæ se sciebat juveni intulisse lethum. Vult Remundus ægram invisat: nam de Clementia, dum vi morbi conflictatur, obmurmuraverat nescio quid, ac si haberet quod cum illa communicatum vellet. Ut videt coram adstantem et lacrymis rigantem ora, subrisit moriens. E cubiculo jubet excedere qui convenerant.—«Non tanti sum,» inquit, «divina Clementia; quid mittis fletus? obsequor volenti. Jussisti mori, et ecce morior.—Non jussi,» respondet illa; «immo, si quid est mihi in te imperii, jubeo vivas. Si non vixeris, vitæ miseram tædebit. Curram ad mortem. Fugiens e vita sequar fugientem me. Vive, mi Padilli, si mortem me non vis oppetere, quæ tua, ut dicebas, vita sum, mi amor. Habebis faciliorem: erit quod me laudes, et vitam.» Osculum impegit; et eripuit fatis. Repente recreatæ ægri vires, et vis morbi contusa. Recepit pristinam valetudinem, et paucos post dies stetit in pedes. Lætabatur Clementia et gratulabatur.—«At enim,» dicebat Padillius, «promissa vita, revocasti ab Styge, nec hactenus vitam vidi. Scis quo me pretio redemeris a desperatione. Non amore lucis lucem video: objecisti spem meliorem.» Rogabat misoresceret, aut morti redderet. Eludebat illa et vana spe lactabat cupientem. Aberat Remundus ab octo diebus, et contigit a Carolo imperatore [pg 326] evocari Padillium. Legioni præfecerat imperator optimus maximus juvenem generosi et ortus et animi, quam in Italiam mittebat. Antequam proficiscitur, convenit Clementiam: solam in cubiculo invenit, et volentem nolentem opprimit. Conflictus acer et quater repetitus; nox diremit duellum. Vide, Octavia, quid honesta in muliere virtus possit, et laudis amor. Postquam exiit Padillius, pœnituit facti. Delictum vidit, quo corpus et animam inquinarat, et exhorruit. «Quid feci scelesta? quid passa sum infelix?» dicebat cum animo suo. «Væ mihi! quæ a sublimi honoris gradu, in quo lucebam, dejeci me præcipitem, cum alienæ subjeci libidini! Væ impuratæ! Audebo cœlum suspicere? Audebo lucem videre sceleris mei consciam, et velle videri? Quo fugiam? Sed me misera non fugiam! Ero ipsa mihi et contumelia et supplicium, quocumque iero. O numen, honestas, meum! qui me ferre potero, non ferendum catharma? mortem facilius feram. Moriendum est.» Morti se damnat. Reliquo die abstinuit cibo, et noctem egit insomnem, collacrymans, gemens, ejulans. Postera die venit Padillius: sedebat in angulo Clementia; flebat, pugno tundebat pectus. «Mittite, o Superi! dirum hoc in caput,» dicebat, «trisulca fulmina. Levate aspectu luridi monstri cœlum atque terras.» Ut prope factus est Padillius, siluit et turbatum continuit pectus.—«Quid vero,» inquit ille, «video infelix? Reddidisti vitam ut tolleres, o vita mea Clementia? Quæ hæc est mutatæ mentis malesana libido?» Voluit et verbis [pg 327] oscula addere. Torve

respexit Clementia et indignans repulit.—«Me incestasti nequitiis tuis, venefice,» inquit, «et vivere vis? Emori satius est.—Si morieris,» reponit Padillius, «habebis comitem: ne dubites. Ergo, sic illudebas credulo? Revocabas a morte, scilicet, ut crudeliori morte perderes? At vide, spes mea, ad saniorem ni redieris sententiam, ni cesses perniciem in te quamcunque moliri, tuis ecce ego in oculis hoc me pugione confodio.» Nudaverat pugionem. Metu perculsa Clementia:—«Cave, cave,» inquit, «mi Padilli, tale in te quicquam cogites: vivam. Et bona promitto fide; sed nec tu negabis mihi quod etiam flagito; ne neges.—Non negabo,» ait Padillius.—«Promitte vero,» refert, «et jura te non negaturum.—Promitto,» refert, «et juro per Deos et Deas omnes. Si fidem fefellero, iratam te habeam, dea mea; nam malim habere iratos Deos et Deas omnes.—Volo deinceps,» reponit Clementia, «amemus alter alterum affectu fraterno, honesto amore.» Hæsit Padillius et ægre tulit. «At enim,» adjicit Clementia, «nisi et tu volueris, me letho das, crudelis. Nam haudquaquam me amas, si negas, sed voluptatem tuam, improbus. Nequicquam contra contenderis.—Te sospitem volo,» refert Padillius, «o digna omni laude matrona! Quandoquidem sic jubes, regina mea, obsequor; legem accipio.» Ut, pulsis nubibus, gratior solis redit facies cœlo sereno, sic, luctu deterso, risit in Clementiæ vultu venustas amœnior. Pransit libere et hilare cum fratre qui fuerat amans. [pg 328] Invasere tamen innumeræ ægritudines puellam, postquam abiit in Italiam Padillius. Subinde gemitus edebat, et fletus mittebat. Pudebat delicti, pudebat et vitæ. At fidei quam juveni dederat memor, in se nihil ultro tentabat. Quatuor post menses nuntius allatus est in prælio ad Papiam esse interfectum, in quo Franciscus rex captus est. Tunc cessit desperationi omnis puellæ constantia. Contabuit intra paucos menses immiti dolore; et demum, inedia consumpta, misere extincta est. Expostulanti Remundo cur ultro relinqueret vitam, relinqueret maritum a quo non nesciret se tantopere amari, momento antequam spiritum exhalaret: «Indigna sum,» respondit, «tam bono marito; tu dignus es honestiori uxore. Deliqui infelix in te et in me; ulta sum vindex injurias tuas et meas: in hoc equidem laudanda, quod, cum amorem novi me tuum non mereri, morti sceleratam adjudicavi. Miserere et ignosce.» Sub hæc defecit in mariti complexibus. In culpa, Octavia, fœminam vides; in pœnitentia, heroinam.

*Octavia.* Jocaris, Tullia, serio non loqueris. Quis heroida ausit vocare furentem puellam, quam cæcus extra se desperationis turbo arripuerat? «Quisque suos patimur manes.» Non duxere volentem fata, nolentem traxere.

*Tullia.* Et etiam desperationi sua laus: cum de se et de Republica desperare cœpit Cato, manus sibi intulit. Et Catonem Stoici pro fortitudinis heroicæ sacro numine coluerunt. Cum desperavit Clementia se honoris posse diutius culmen, in quo sedebat, tenere, contabuit. Digna est, meo quidem judicio, [pg 329] quam honestæ ut nos sumus colant pellices, quam venerentur pro meretriciæ virtutis

numine.

*Octavia.* Et timebat a marito sibi, si rescisset, et metus animos dedit. Currerem ego ad mortem: ferro aperirem animæ viam infamiam fugienti.

*Tullia.* Malim ego meis, quam mariti, perire manibus. O hominum inhumanitatem! Arrogant sibi omnia, nobis negant. Probro sibi putant verti (quæ insania!) nostræ si libidini ignoverint, uxori si pepercerint, cui parcerent leones. Cum captus est a Borbonio et Lanoyo Franciscus rex, fusis in pugna Papiensi copiis, lacrymis sinum, questibus cœlum implevit puellarum longe pulcherrima Francisca Foxia. Rem narrabo, Octavia mea, scitu dignam et miseratione. Principi Mars militabat, Princeps Veneri; fortis imperator Marti, fortissimus miles Veneri. Amabat cingi sibi caput lauro et myrto. Erat, inter aulicos, vir summo in Armorica loco natus, Joannes Castrobriandus, cui uxor forma divina. Noverat Regis mores, et mulierum ingenium. Expostulabant amici, quod illis, quod Aulæ toti uxoris negaret adspectum, ac si solem negaret. Puella, viginti nata annos, unico mater partu, ætatem non læserat: si vidisses, virginem dixisses. Causabatur animum uxori non esse ex Armorica excedere, unum ne quidem passum. Scribebat veniret, et Rex in hoc totus erat. Nequicquam omnia. Et subirasci uxori simulabat doli artifex. Dum forte it cubitum, excidit negligenti pars annuli aurei media. Vidit qui a cubiculo erat, collectam hero restituit.—«Mallem,» inquit herus, «jacturam centum talentorum fecisse.» Suspicione [pg 330] assequutus est acris Rex ingenii quid id rei esset. Corrupto cubiculario spe et pretio, ea arte et cura fingitur similis, ut discrimen intercederet nullum, et capi etiam a marito altera posset pro altera. Mittitur uxori, ac paucos post dies, appellit Lutetiam læta, et mariti petit amplexus. Stupet, et tantum non excandescit, quod dictæ oblita legis advenisset non advocata. Stupet et illa, et dimidium annulum promit.—«Aliud quæris autoramentum a me?» inquit. «Jussisti, cum mitteres, proficiscerer ad te. Absque commeatu non veni. Accepi, et convenit hæc pars optime, quam mihi servavi, annuli parti.» Sensit ille sibi fraudem factam, et pressit dolorem, ne fabula fieret. Postera die, Ludovica, Regis mater, accersit ad se puellam: favebat ultro gnati cupidinibus. «Nam,» dixit, «excellis forma et ingenio. Quid latebas in regni angulo, mirabilis fœmina? Deerat Aulæ id sidus.» Paucis omnia: Regi mirifice placuit puella, et puellæ Rex; amantibus propere cessit. Etiam non regnanti et in throno non sedenti omnia cedunt Amori; cedet et regnanti tetrica Minervæ virginitas. Ægre videbatur ferre maritus, obmurmurabat, minitabatur. Igitur percussa metu uxor non vivebat. Abditum animadvertit dolorem Rex amans; abductam locat in tuto. Sic ducebant festos dies alter in alterius sinu; sed Mars, sanguinis avidus, placidæ hanc invidit Veneri laudem. Paucos post menses Mediolanensibus Rex infert bellum, animosior quam prudentior; cecidit præceps e summa felicitate, capto ad Papiam et in Hispaniam perducto, miserabilis puella. Quid consilii [pg 331] caperet, ad fœdam reducta

inopiam? Cepit a desperatione. Perituram egerunt Eumenides ad maritum; nam intervenerant affines placando. Non Gallus, sed Scytha recepit in domum pallidam et mœrentem, non in gratiam: ac si non uxorem reciperet, sed veneficam et strygem. Cum nata et ancilla includit cubiculo: nihil infelici præterea cum mortalibus ullis usus aut commercii. Decessit vero e vita nata infans, et secum abstulit moriens quicquid reliquum supererat humanitatis in gladiatoris pectore. Nondum decem transierant dies, cum intrat ira furens. «Scis, adultera,» intonat, «quas mihi inflixeris infamiæ notas immerenti. Damnasti ipsa te morti cum deliquisti. Tædeat, hercle! te vitæ, quæ, honore amisso, jamdudum vivere desiisti. Nam vita vera est bonis honos. Moriendum est. Parata ecce supplicio sunt omnia; ipsa eris? Aude generosa cohonestare morte vitam, quam flagitiis conscelerasti. Nec me flectere precando posse putes: Acheronta prius moveris.» Satellites duo et chirurgus carnifex aderant impio. Vociferans educitur e lecto puella; et nequicquam Superum hominumque obtestans opem et fidem, solutis brachiorum et crurum venis, crudeliter morti datur. Meliori digna aut fato aut marito, sic periit. Et hi sibi vertunt laudi nequissimi lanii, quod in ursis et pardis, si fieret, probro verterent hominum belluarumque communi parenti Naturæ. Satis equidem, mea sententia, generosæ esset supplicii puellæ pœnam meruisse et sumi potuisse. Sed dum colloquimur et confabulamur, cara Octavia, dies consumpta est. [pg 332] Crastina, si vacabis, plura. Vale, corculum, et me ama si beatam velis.

*Octavia.* Nulla unquam Amor nocte tot attulit mihi voluptates indulgens, ut hac tu die, cognata, his tuis fabulis. Tecum, per sicca Minervæ cadurda! malim esse sic loquente tota die, quam ipso cum Amore tota nocte cevente. Vale, cognata.

*Tullia.* Lepidum caput! Vale, cognata. Si non valeas, nulla sim! Vale.

*Octavia.* Vale et tu, Cotytto mea. Quæ si ingeniosa non fuisses, silex essem. Vitam a parentibus accepi, a te ingenium. Lutum est sine ingenio puella.

*Tullia.* Sua si non surgat ab humilitate, fervido animi conatu, dic, Octavia, quid fœmina abjectius, miserius, inquinatius? Matula est vitæ particeps immeienti concubino. Quid præterea? O sordes! o dedecus! Nunc vale, et osculum da.

COLLOQUIORUM FINIS

[pg 333]

# APPENDIX

[pg!334]

[pg 335]

(*Sequitur in Autographo Meursii De Laudibus Aloisiæ Poemation: nec ausim dicere deesse nihil.*)

————

DAN. HE*** B***

## POEMATION DE LAUDIBUS ALOISIÆ

————

Ingenium memorem an mores? o Virgo Toleti
Unica laus! Ætas talem non jactat avorum.
Te decimam vellent Parnassi culmina Musam:
Te peterent Musæ amplexu: te lætus Apollo
Ambiret mirans, interque Heroidas, unam
Umbrosis resonaret amans in saltibus Echo.
Hos audax potuisti animos afflare Pudori
Virgineo, et stabili timidum componere bello?
Non fugit ad Veneris nomen Pudor: impiger urget
Hostem insultantem verbis, et dira minantem.
Delicias tam culti operis mirata Dione
Decipitur, laudesque novas spe concipit ægra.
«Ite citi, ite mei, sed penna,» dixit, «Amores,
»Præpete, qua campos sparso Tagus irrigat auro;
[pg 336]
»Ad virides ripas festis celebrate puellam
»Lusibus, et duræ laudes inscribite cauti.
»Nostra vel ahenas animas incendere tela
»Illa missa manu poterunt; et vincula virtus
»Induet, et currus nostros captiva sequetur.
»O! nunc florenti quæ surgis odoreas regno,

»Te veneror, teneræ donum immortale puellæ!»

Non tulit hos animos secum indignata Minerva,
Subridensque novas movet iras:—«Improba,» dixit,
«Hostiles sunt insidiæ, Venus improba; vanas
»Abjice spes; gliscens nec te deceperit error.
»An dubitas? Sunt insidiæ: tibi nectere pura
»Hos est ausa dolos impuræ virgo pudoris
»Illæsi; premit ense minax, et cominus instat.
»Insequitur victrix tua te ad spelæa subantem,
»Et spoliis acer bello inclarescet opimis.
»Ingeniosa tuis sub signis militat in te;
»Qua melius mentes fœdis dimoverit arte
»A vitiis, a te vitiorum gurgite cæco?
»Insanæ ante oculos, bene sana, libidinis æstus,
»Et scelera exponit putri manantia tabo,
»Sordesque Augeæ ex stabulis cœnoque fluenti,
»Et quos ausa furis scelerata in nocte furores.»

Dat gemitus Venus, et suspiria ducit anhela.
—«Nos postquam,» dixit, «nudas videre sub Ida
»Excitæ Dryades, et lecto judice vici,
»Omnes una tuli crudelis Palladis iras.
»Quare odiis, non æqua movens, insurgis iniquis?
»Nam quæ culpa Deas forma si vincimus omnes?
»Perge tamen, Pallas. Quid tum profeceris isto
»Conatu, tecum ipsa vide. Sed futilis audes
[pg 337]
»Intentare minas? Speras excindere regna
»Posse mea, et lætos interturbare triumphos?
»Non facies.» Blande subrisit tetrica Pallas:
—«Sed faciet præstans,» infit, «virtute puella.
»Eruet hæc ætas, et luctus invehet ultrix.
»Quos lena et pellex dehonestas, Cypris, honores
»Fidenti eripiet: fugies sub Tartara mœrens.»

O cœlo, salve, nova lux quæ surgis Ibero!
Qualis ab Eois ascendit Delius Indis,
Talis ab Occiduis Aloisia surgit Iberis:
Risusque et cantus, cum luce, per æthera late

Diffundit circum; suaves exhalat odores
Flora tibi, sidusque novum nova sidera cœli
Mirantur. Te laudis amor lucentibus astris
Inserit, et veri sublimes tollit ad arces.
O non herois, sed vere nobilis heros!
Quod Natura negat, sexum deponere visa es:
Namque ultra egrediens, animos curasque viriles
Induis, et tete ponens generosa relinquis.
Indigetem superis missam feliciter oris
Quis neget, et Phœbi cœlesti germine cretam?
O cœlo, salve, nova lux quæ surgis Ibero!

[pg 338]

## TUBERONIS GENETHLIACON

*Versibus senariis.*

————

Quate, feriata Musa, rauca cymbala,
Raucosque ab usto pectore excrea modos;
Certent cananti gracculi et ranæ tibi,
Nec hæ, nec illi rancidos vincant sonos.
Et comice larvam indue, et risum move:
Tubero est canendus; quid moraris? incipe.

Cum parturiret fessa mater pondere:
«Lucina Juno, fer bonam favens opem!»
Clamat. Gementis luridum in vultum exspuit
Aversa Juno, gannit et retro fugit.
Laverna venit: «Hæ meæ partes erunt,»
Dixit renidens, et manus lavit Styge.
Obstetricatur, ac cadentem suscipit
De matre. Prima vagienti basia
Impingit, ebria gaudio et spe præscia.
Venit Cotytto usquequaque pruriens;
Venit loquendi filius Maiæ artifex,
Catusque technas fingere, et cæcos dolos;
Et hac et illac pervolant species vagæ:
Simulatio, Fraus, Sanna, Spes, Perjurium.
Levibus micantes increpat alapis nates
[pg 339]
Procax Laverna; ringit, et plaudit sibi.
«Io triumphe!» clamat, et, saliens, citos
Tollit cachinnos. «O meum, puer, decus,
»O gloria,» inquit, «ominer quid non tibi?

»Versutiorem nulle proferet dies.
»Seu moliendæ non timentibus neci,
»Seu invehendæ præpetim calumniæ
»Appellas animum, lauream nemo auferet,
»O laureatum nobilis verpæ caput!
»Cedant Sinones et Phrynonides futiles,
»Cedat et Ulysses, Sysiphus et cedat vafer;
»Arx tu mihi eris, unde, cum opus sit, petam
»Mea tela, fraudes, et tuas dotes, dolos.
»Sed sanctiorem moribus solers dabo
»Nusquam videri. Falle: sic tuto potes.
»Compone vultum, nam interest mores minus.
»Quis ibit ad te per tuas Symplegadas?
»Respectum habere credulus jactat? sapit?
»Non sapit. Obliquas annulus Gygis vias
»Non sic docebat, ut magnus te condocet
»Amor latendi. Quis fies, nemo sciet.
»O te, Lavernæ, puppe, dignum amplexibus!
»Assiduus aris cultor, et templis frequens
»Spectator aderis, et simul spectaculum.
»Erit sed intus numen Ambitio furens,
»Et Livor ater, ultionis et coquens
»Rabies medullas, et putens auri Fames.
»Colant inepti quod decet, tu quod juvat,
»Juvenis subunctæ naris, et dolis senex.
»Quid non tibi optem? quid quidem non ominer?
»Superes meis me versipellis artibus,
»Laverniones inter Heros unicus.
»Meumque numen sedeat in sinu tuo,
»In te Laverna me petam et peti velim.»
[pg 340]
Hiec sternuit; pedit puer: ita omen capit.

Ridet Cotytto, plaudit et teretes manus.
Vultus lepore vivido floret nitens,
Oculi procaces excitent salaciam,
Vel dormientem, vel gravi stupidam situ.
Nudæ papillæ, nuda sunt et brachia,
Et femora ficta vivo e marmore et nive
Viva. Sed alvi qua latet timide abdita

Sexus honestas, sericum partem igneam
Male tuetur; lucidam nubem putes.
Animi libido suasit; amens improbe
Rapidis fatigat agiles artus motibus;
Œstroque cæco percita, ultro diffluit
Resoluta, et alba tabe conspuit femora.
—«Pulcher puelle,» dixit, «o gaudii apex,
»Certæque spei, laudis et cumulus meæ!
»Tu Bapta sacris arrigens stabis meis:
»Tu præeris ardens incita tentigine,
»Patieris et ages fortia unus fortiter,
»Cinædus et pedico longe acerrimus.
»Munificam habebis, per libidines meas!
»Me quoque. Subando nulla fregerit tuam
»Veneris repugnans fervidæ salacitas,
»Antica seu postica tecum misceat
»Prælia. Stupebit et lumbos tibi invidens
»Semper recentes, semper et votis pares
»Tuisque meisque, Lampsaceno cultus solo.
»Aciem retundet parma nulla spiculi;
»Stricti timebit olim acinacis minas
»Senio sepulta Pyrrha, nec parces seni.
»Surges in arma bile salsa turgidus
»Penem, nec ulla vires hauserit Venus:
»Fessis virescet artubus robur novum.
[pg 341]
»Nec parce lumbis; ipsa venæ spiritus
»Haustæ refundam, virus et dulce ingeram.
»Nec, Hercle! parces, probe novi indolem.
»Tibi figuras induet miras Venus;
»Nec impotenti se negabit impotens,
»Vagæ negabit et nihil libidini.
»Fellabis, irrumabis, applaudam videns;
»Fellaberis vicissim, et irrumaberis.
»Cibo voluptas scelere crescet addito:
»Erit æstuanti dulcior quo turpior.
»Sed qui sinistræ dixerim nequitias
»Manus? Ut scelesta ludet! ut pro conjuge
»Præsto erit! inanem ut sicca pugnam conseret!
»Sed hæc sub umbra. Te superfusa teges

»Tuasque furias nocte; livor perspicax
»Istis hebescet artibus lusus malis.
»Frontem pudore pinge solers, non tuo.
»Pinges, et ecce gaudeo pictam bene,
»Et mentietur te probum vultus pudens,
»Et mentienti plebs dabit vecors fidem.
»Quid non tibi optem? Quid quidem non ominer?»

Silet; puellus arrigit: ita omen capit.

—«Meas tibi omnes ingeram plenis opes
»Manibus, Stygis spes, o puelle,» subjicit
Virgam coruscans auream Cyllenius.
«Linam dolosis dulce labris toxicum;
»Bibent loquentem; tinget et præcordia
»Cupidas per aures lapsa pestis intima.
»Inflexione vocis, usus ut feret,
»Apte cadentis, et miris ambagibus,
»Facies loquendo, quæ tibi sententia
»Stet fixa menti, nullus ut intelligat:
[pg 342]
»Mellitus ore, corde amaro felleus.
»Mentem Solones et suam belle minus
»Tenebricoso volverint silentio.
»Salus malorum, sed bonis eris scopus;
»Tibi damna, luctus et neces erunt malo.
»Fraudes peritus nectere, ut fidens virum
»Simulabis ater candidum! Misto virus
»Ut temperabis melle! Sparsis et rosis
»Suavique florum rore, ut aspidem teges!
»Et æstuabis interim pecuniæ
»Amore turpi, nec sitim sedaverit
»Pretiosa late et nota tempestas Tagi.
»Auspex sed artes ipse suggeram novas.
»Ibis dolosi furva per compendia,
»Sed tuta, lucri, me duce, ad summas opes;
»Quid juverit ille Jupiter tibi verterit.
»Ad genua supplex accides serviliter;
»Adblandiere, mimum agens scurriliter.
»Nil turpe duces quod modo lucro cadat;

»Relligio in arca, Numen in nummis erit;
»Fortuna socors ruet in amplexus tuos:
»Lenocinabor, teque viso pruriet.
»Nec deeris ipse tu tibi falsa artifex
»Miscere veris, seriis ludibria;
»Sic perspicaces in tuas plagas cadent,
»Etiam volentes, per meas præstigias.
»Habebis in te quod probem, quod æmuler,
»Sycophanta, leno, furcifer, fœtus dolis!»

Ungues adunci pruriunt puero: capit
Sic omen ille. Gaudet Atlantis nepos;
Strepit Laverna rancidum quid succinens;
Mollis Cotytto flexiles lumbos agit.

[pg 343]

PARISIIS

Ex typis

CAROLI UNSINGER

Rue du Bac, n° 83

Note de transcription

Pour la préparation de cette transcription ont été consultés aussi l'édition originale du 1660[?] *Aloisiæ Sigeæ Toletanæ: Satyra sotadica de arcanis amoris et Veneris (Pars altera: Veneres)/Aloisia Hispanice scripsit; Latinitate donavit Ioannes Meursius. V.C.*; l'edition du 1751 *Joannis Meursii elegantiæ latini sermonis: Petri Aretini Pornodidascalus seu, de astu nefario horrendisque dolis, quibus impudicæ mulieres iuventuti incautæ insidiantur, dialogus* et celui publié à Londres en 1781: *Joannis Meursii Elegantiæ latini sermonis seu Aloisia Sigæa Toletana De arcanis Amoris & Veneris, adjunctis Fragmentis quibusdam Eroticis, Nova Editio emendatior, Pars I et II.*
Les erreurs d'impression suivants ont été corrigées:

- **p. X, note (I)**: *Eclaircissements sur le » Meursius.»* —> *Eclaircissements sur le «Satyre Sotadique de Nicolas Chorier, connue sous le noms d'Aloysia, de Meursius.»* [dans le livre "La Curiosité littéraire et bibliographique. Articles littéraires. Reproduction, extraits et analyses d'ouvrages curieux. Notices de livres rares. Anecdotes, etc. Troisième série, Isidore Lisieux, Paris (1882), p. 177"]

- **p. XII, note (I)**: *les Dialogues de Luis*a —> *les Dialogues de Luisa* [*a* italique]

- **p. XXI, l. -8**: qni Jovem non timebant. —> qui Jovem non timebant.

- **p. XXII, l. 16-17**: Machiavellum Florentinnm —> Machiavellum Florentinum

- **p. XXIII, l. 17**: triumphati nvirtuti —> triumphanti virtuti

- **p. 15, l. -3**: Totam me jam ocupas —> Totam me jam occupas

- **p. 32, l. 14**: Osculum impinge mibi —> Osculum impinge mihi

- **p. 58, l. -1**: quas imperas, deshonestat —> quas imperas, dehonestat

- **p. 81, l. 4**: patientiam comparabant Aderat. Virginensis marito —> patientiam comparabant. Aderat Virginensis marito

- **p. 90, l. -1**: !lle, ut pueri solent, —> Ille, ut pueri solent,

- **p. 122, l. -9**: Moves me ab libidinem —> Moves me ad libidinem

- **p. 130, l. 7**: sin nimus, videris —> sin minus, videris

- **p. 133, l. -2**: intra pauco dies —> intra paucos dies

- **p. 163, l. -2**: nu!la impatientiam libidinis solata est —> nulla impatientiam libidinis solata est

- **p. 176, l. -10**: Tibi dixeris hæc. —> Tibi dixerit hæc.

*** END OF THIS PROJECT GUTENBERG EBOOK SATYRA SOTADICA ***

# A Word from Project Gutenberg

We will update this book if we find any errors.

This book can be found under: https://www.gutenberg.org/ebooks/42212

Creating the works from print editions not protected by U.S. copyright law means that no one owns a United States copyright in these works, so the Foundation (and you!) can copy and distribute it in the United States without permission and without paying copyright royalties. Special rules, set forth in the General Terms of Use part of this license, apply to copying and distributing Project Gutenberg™ electronic works to protect the Project Gutenberg™ concept and trademark. Project Gutenberg is a registered trademark, and may not be used if you charge for the eBooks, unless you receive specific permission. If you do not charge anything for copies of this eBook, complying with the rules is very easy. You may use this eBook for nearly any purpose such as creation of derivative works, reports, performances and research. They may be modified and printed and given away – you may do practically *anything* in the United States with eBooks not protected by U.S. copyright law. Redistribution is subject to the trademark license, especially commercial redistribution.

## The Full Project Gutenberg License

*Please read this before you distribute or use this work.*

To protect the Project Gutenberg™ mission of promoting the free distribution of electronic works, by using or distributing this work (or any other work associated in any way with the phrase “Project Gutenberg”), you agree to comply with all the terms of the Full Project Gutenberg™ License available with this file or online at https://www.gutenberg.org/license.

## Section 1. General Terms of Use & Redistributing Project Gutenberg™ electronic works

**1.A.** By reading or using any part of this Project Gutenberg™ electronic work, you indicate that you have read, understand, agree to and accept all the terms of this license and intellectual property (trademark/copyright) agreement. If you do not agree to abide by all the terms of this agreement, you must cease using and return or destroy all copies of Project Gutenberg™ electronic works in your possession. If you paid a fee for obtaining a copy of or access to a Project Gutenberg™ electronic work and you do not agree to be bound by the terms of this agreement, you may obtain a refund from the person or entity to whom you paid the fee as set forth in paragraph 1.E.8.

**1.B.** "Project Gutenberg" is a registered trademark. It may only be used on or associated in any way with an electronic work by people who agree to be bound by the terms of this agreement. There are a few things that you can do with most Project Gutenberg™ electronic works even without complying with the full terms of this agreement. See paragraph 1.C below. There are a lot of things you can do with Project Gutenberg™ electronic works if you follow the terms of this agreement and help preserve free future access to Project Gutenberg™ electronic works. See paragraph 1.E below.

**1.C.** The Project Gutenberg Literary Archive Foundation ("the Foundation" or PGLAF), owns a compilation copyright in the collection of Project Gutenberg™ electronic works. Nearly all the individual works in the collection are in the public domain in the United States. If an individual work is unprotected by copyright law in the United States and you are located in the United States, we do not claim a right to prevent you from copying, distributing, performing, displaying or creating derivative works based on the work as long as all references to Project Gutenberg are removed. Of course, we hope that you will support the Project Gutenberg™ mission of promoting free access to electronic works by freely sharing Project Gutenberg™ works in compliance with the terms of this agreement for keeping the Project Gutenberg™ name associated with the work. You can easily comply with the terms of this agreement by keeping this work in the same format with its attached full Project Gutenberg™ License when you share it without charge with others.

**1.D.** The copyright laws of the place where you are located also govern what you can do with this work. Copyright laws in most countries are in a constant state of change. If you are outside the United States, check the laws of your country in addition to the terms of this agreement before downloading, copying, displaying, performing, distributing or creating derivative works based on this work or any other Project Gutenberg™ work. The Foundation makes no repre-

sentations concerning the copyright status of any work in any country outside the United States.

1.E. Unless you have removed all references to Project Gutenberg:

1.E.1. The following sentence, with active links to, or other immediate access to, the full Project Gutenberg™ License must appear prominently whenever any copy of a Project Gutenberg™ work (any work on which the phrase “Project Gutenberg” appears, or with which the phrase “Project Gutenberg” is associated) is accessed, displayed, performed, viewed, copied or distributed:

> This eBook is for the use of anyone anywhere in the United States and most other parts of the world at no cost and with almost no restrictions whatsoever. You may copy it, give it away or re-use it under the terms of the Project Gutenberg License included with this eBook or online at https://www.gutenberg.org . If you are not located in the United States, you’ll have to check the laws of the country where you are located before using this ebook.

1.E.2. If an individual Project Gutenberg™ electronic work is derived from texts not protected by U.S. copyright law (does not contain a notice indicating that it is posted with permission of the copyright holder), the work can be copied and distributed to anyone in the United States without paying any fees or charges. If you are redistributing or providing access to a work with the phrase “Project Gutenberg” associated with or appearing on the work, you must comply either with the requirements of paragraphs 1.E.1 through 1.E.7 or obtain permission for the use of the work and the Project Gutenberg™ trademark as set forth in paragraphs 1.E.8 or 1.E.9.

1.E.3. If an individual Project Gutenberg™ electronic work is posted with the permission of the copyright holder, your use and distribution must comply with both paragraphs 1.E.1 through 1.E.7 and any additional terms imposed by the copyright holder. Additional terms will be linked to the Project Gutenberg™ License for all works posted with the permission of the copyright holder found at the beginning of this work.

1.E.4. Do not unlink or detach or remove the full Project Gutenberg™ License terms from this work, or any files containing a part of this work or any other work associated with Project Gutenberg™.

1.E.5. Do not copy, display, perform, distribute or redistribute this electronic work, or any part of this electronic work, without prominently displaying the sentence set forth in paragraph 1.E.1 with active links or immediate access to the full terms of the Project Gutenberg™ License.

**1.E.6.** You may convert to and distribute this work in any binary, compressed, marked up, nonproprietary or proprietary form, including any word processing or hypertext form. However, if you provide access to or distribute copies of a Project Gutenberg™ work in a format other than "Plain Vanilla ASCII" or other format used in the official version posted on the official Project Gutenberg™ web site (https://www.gutenberg.org), you must, at no additional cost, fee or expense to the user, provide a copy, a means of exporting a copy, or a means of obtaining a copy upon request, of the work in its original "Plain Vanilla ASCII" or other form. Any alternate format must include the full Project Gutenberg™ License as specified in paragraph 1.E.1.

**1.E.7.** Do not charge a fee for access to, viewing, displaying, performing, copying or distributing any Project Gutenberg™ works unless you comply with paragraph 1.E.8 or 1.E.9.

**1.E.8.** You may charge a reasonable fee for copies of or providing access to or distributing Project Gutenberg™ electronic works provided that

- You pay a royalty fee of 20% of the gross profits you derive from the use of Project Gutenberg™ works calculated using the method you already use to calculate your applicable taxes. The fee is owed to the owner of the Project Gutenberg™ trademark, but he has agreed to donate royalties under this paragraph to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation. Royalty payments must be paid within 60 days following each date on which you prepare (or are legally required to prepare) your periodic tax returns. Royalty payments should be clearly marked as such and sent to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation at the address specified in Section 4, "Information about donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation."

- You provide a full refund of any money paid by a user who notifies you in writing (or by e-mail) within 30 days of receipt that s/he does not agree to the terms of the full Project Gutenberg™ License. You must require such a user to return or destroy all copies of the works possessed in a physical medium and discontinue all use of and all access to other copies of Project Gutenberg™ works.

- You provide, in accordance with paragraph 1.F.3, a full refund of any money paid for a work or a replacement copy, if a defect in the electronic work is discovered and reported to you within 90 days of receipt of the work.

- You comply with all other terms of this agreement for free distribution of Project Gutenberg™ works.

**1.E.9.** If you wish to charge a fee or distribute a Project Gutenberg™ electronic work or group of works on different terms than are set forth in this agreement, you must obtain permission in writing from both the Project Gutenberg Literary Archive Foundation and The Project Gutenberg Trademark LLC, the owner of the Project Gutenberg™ trademark. Contact the Foundation as set forth in Section 3. below.

**1.F.**

**1.F.1.** Project Gutenberg volunteers and employees expend considerable effort to identify, do copyright research on, transcribe and proofread works not protected by U.S. copyright law in creating the Project Gutenberg™ collection. Despite these efforts, Project Gutenberg™ electronic works, and the medium on which they may be stored, may contain "Defects," such as, but not limited to, incomplete, inaccurate or corrupt data, transcription errors, a copyright or other intellectual property infringement, a defective or damaged disk or other medium, a computer virus, or computer codes that damage or cannot be read by your equipment.

**1.F.2.** LIMITED WARRANTY, DISCLAIMER OF DAMAGES – Except for the "Right of Replacement or Refund" described in paragraph 1.F.3, the Project Gutenberg Literary Archive Foundation, the owner of the Project Gutenberg™ trademark, and any other party distributing a Project Gutenberg™ electronic work under this agreement, disclaim all liability to you for damages, costs and expenses, including legal fees. YOU AGREE THAT YOU HAVE NO REMEDIES FOR NEGLIGENCE, STRICT LIABILITY, BREACH OF WARRANTY OR BREACH OF CONTRACT EXCEPT THOSE PROVIDED IN PARAGRAPH 1.F.3. YOU AGREE THAT THE FOUNDATION, THE TRADEMARK OWNER, AND ANY DISTRIBUTOR UNDER THIS AGREEMENT WILL NOT BE LIABLE TO YOU FOR ACTUAL, DIRECT, INDIRECT, CONSEQUENTIAL, PUNITIVE OR INCIDENTAL DAMAGES EVEN IF YOU GIVE NOTICE OF THE POSSIBILITY OF SUCH DAMAGE.

**1.F.3.** LIMITED RIGHT OF REPLACEMENT OR REFUND – If you discover a defect in this electronic work within 90 days of receiving it, you can receive a refund of the money (if any) you paid for it by sending a written explanation to the person you received the work from. If you received the work on a physical medium, you must return the medium with your written explanation. The person or entity that provided you with the defective work may elect to provide a replacement copy in lieu of a refund. If you received the work electronically, the person or entity providing it to you may choose to give you a second opportunity to receive the work electronically in lieu of a refund. If the second copy is also defective, you may demand a refund in writing without further opportunities to fix the problem.

**1.F.4.** Except for the limited right of replacement or refund set forth in paragraph 1.F.3, this work is provided to you 'AS-IS,' WITH NO OTHER WARRANTIES OF ANY KIND, EXPRESS OR IMPLIED, INCLUDING BUT NOT LIMITED TO WARRANTIES OF MERCHANTABILITY OR FITNESS FOR ANY PURPOSE.

**1.F.5.** Some states do not allow disclaimers of certain implied warranties or the exclusion or limitation of certain types of damages. If any disclaimer or limitation set forth in this agreement violates the law of the state applicable to this agreement, the agreement shall be interpreted to make the maximum disclaimer or limitation permitted by the applicable state law. The invalidity or unenforceability of any provision of this agreement shall not void the remaining provisions.

**1.F.6.** INDEMNITY – You agree to indemnify and hold the Foundation, the trademark owner, any agent or employee of the Foundation, anyone providing copies of Project Gutenberg™ electronic works in accordance with this agreement, and any volunteers associated with the production, promotion and distribution of Project Gutenberg™ electronic works, harmless from all liability, costs and expenses, including legal fees, that arise directly or indirectly from any of the following which you do or cause to occur: (a) distribution of this or any Project Gutenberg™ work, (b) alteration, modification, or additions or deletions to any Project Gutenberg™ work, and (c) any Defect you cause.

## Section 2. Information about the Mission of Project Gutenberg™

Project Gutenberg™ is synonymous with the free distribution of electronic works in formats readable by the widest variety of computers including obsolete, old, middle-aged and new computers. It exists because of the efforts of hundreds of volunteers and donations from people in all walks of life.

Volunteers and financial support to provide volunteers with the assistance they need, is critical to reaching Project Gutenberg™'s goals and ensuring that the Project Gutenberg™ collection will remain freely available for generations to come. In 2001, the Project Gutenberg Literary Archive Foundation was created to provide a secure and permanent future for Project Gutenberg™ and future generations. To learn more about the Project Gutenberg Literary Archive Foundation and how your efforts and donations can help, see Sections 3 and 4 and the Foundation web page at https://www.pglaf.org .

## Section 3. Information about the Project Gutenberg Literary Archive Foundation

The Project Gutenberg Literary Archive Foundation is a non profit 501(c)(3) educational corporation organized under the laws of the state of Mississippi and granted tax exempt status by the Internal Revenue Service. The Foundation's EIN or federal tax identification number is 64-6221541. Contributions to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation are tax deductible to the full extent permitted by U.S. federal laws and your state's laws.

The Foundation's principal office is in Fairbanks, Alaska, with the mailing address: PO Box 750175, Fairbanks, AK 99775, but its volunteers and employees are scattered throughout numerous locations. Its business office is located at 809 North 1500 West, Salt Lake City, UT 84116, (801) 596-1887, email business@pglaf.org. Email contact links and up to date contact information can be found at the Foundation's web site and official page at www.gutenberg.org/contact

For additional contact information:

Dr. Gregory B. Newby
Chief Executive and Director
gbnewby@pglaf.org

## Section 4. Information about Donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation

Project Gutenberg™ depends upon and cannot survive without wide spread public support and donations to carry out its mission of increasing the number of public domain and licensed works that can be freely distributed in machine readable form accessible by the widest array of equipment including outdated equipment. Many small donations ($1 to $5,000) are particularly important to maintaining tax exempt status with the IRS.

The Foundation is committed to complying with the laws regulating charities and charitable donations in all 50 states of the United States. Compliance requirements are not uniform and it takes a considerable effort, much paperwork and many fees to meet and keep up with these requirements. We do not solicit donations in locations where we have not received written confirmation of compliance. To SEND DONATIONS or determine the status of compliance for any particular state visit https://www.gutenberg.org/donate

While we cannot and do not solicit contributions from states where we have not met the solicitation requirements, we know of no prohibition against accepting unsolicited donations from donors in such states who approach us with

offers to donate.

International donations are gratefully accepted, but we cannot make any statements concerning tax treatment of donations received from outside the United States. U.S. laws alone swamp our small staff.

Please check the Project Gutenberg Web pages for current donation methods and addresses. Donations are accepted in a number of other ways including checks, online payments and credit card donations. To donate, please visit: https://www.gutenberg.org/donate

## Section 5. General Information About Project Gutenberg™ electronic works.

Professor Michael S. Hart was the originator of the Project Gutenberg™ concept of a library of electronic works that could be freely shared with anyone. For thirty years, he produced and distributed Project Gutenberg™ eBooks with only a loose network of volunteer support.

Project Gutenberg™ eBooks are often created from several printed editions, all of which are confirmed as not protected by copyright in the U.S. unless a copyright notice is included. Thus, we do not necessarily keep eBooks in compliance with any particular paper edition.

Most people start at our Web site which has the main PG search facility:

https://www.gutenberg.org

This Web site includes information about Project Gutenberg™, including how to make donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation, how to help produce our new eBooks, and how to subscribe to our email newsletter to hear about new eBooks.